


SYNODUS BOTANICA

OMNES

FAMILIAS, GENERA ET SPECIES

PLANTARUM ILLUSTRANS.

PARS II.

CONTINENS FAMILIAE ROSACEARUM, GENERIS ROSAE SERIES XX POSTERIORES.

VINDOBONAE, 1823.

APUD J. G. HEUBNER.

ROSACEARUM

MONOGRAPHIA.

AUCTORE

LEOPOLDO TRATTINNICK,

MUSAEI CAES. REG. BOTAN. VINDOB. CUSTODE, MAGNAT. AUSTR. INFER. PHYTOGRAPHO, SOC. CAES. REG. AGRICULT. PLURIUMQUE ALIARUM SOCIETATUM LITER. SODALI ETC.

VOLUMEN II.

VINDOBONAE, 1823.


APUD J. G. HEUBNER.



PRAEFATIO.

Tomo primo hujus operis typis jam finito celeberrimus atque amicissimus *Professor et Med. Doct. V. S. Besser* communicavit specimen suae *Enumerationis plantarum usquedum in Volhynia, Podolia, Gub. Kijoviensi, Bessarabia cis-tyraica, et circa Odessam** *collectarum, simul cum observationibus in primitias Florae Galiciae austriacae: Vilnae* 1822 *in* 8vo. Si prius hanc obtinuissem, plures clariss. auctoris observationes, emendationesque, suo loco et praesertim in Epitome potuissem inserere. Quae quidem Tomum praesentem

*



secundum respiciunt, veluti R. armata, R. Kosinsciana, R. Boreykiana et observationes ad species hujus Tomi spectantes, merito adhibitae sunt et intercalatae: illae vero, quae Tomo primo suscipiendae fuissent, ne Lectores usque ad edenda Additamenta desideria sua prorogare debeant, compendiose interim in praefatione colligendae, et ulteriori Botanicorum investigationi ac judicio proponendae veniunt. Sunt autem sequentes:

Rosa Andrezeiovii. Flores carnei, magni. Fructus coccinei. p. 19. Certe non est varietas R. villosae, uti putat L. B. Marschall a Bieberstein: differt foliolis minoribus concoloribus, viridibus, aculeis multo copiosioribus, floribus majoribus, pallidioribus, calycis segmentis magis pinnatifidis, in fructu patentibus, fructuque minore. p. 66.

R. campestris Sw. Duo vidi specimina, unum ab ill. Steven, alterum a cl. Wahlenbergio in Westrogothia lectum ex herbario Güntheriano, quae vero valde inter se discrepant. Prius a R. collina δ fere nonnisi aculeis rectis, subulatis differt. Alteri cortex fuscus nitens, aculei adunci, com-

pressi, calycis segmenta dorso glanduloso-setosa, pedunculi subsetosi. Carens descriptione d. Swartzii, et speciminibus melioribus nil decidere possum, video solum maximam affinitatem. p. 63.

R. canina β. *Bess. fl. Gal. I.* 325. Jam etiam in Podolia observata distinguitur foliolis subtus glaucis, adultis supra sublucidis, glabris, petiolis rubris, aculeatis, subpubescentibus, serraturis stipularum et laciniarum calycis glandulis purpureis terminatis, calycum tubis magis ovatis, et floribus roseis. p. 21. An R. dumalis? T.

R. ciliato-petala. Bess. Hanc in Lithuania legi. Eandem quoque foliis angustioribus et longioribus possideo e horto cracoviensi nomine R. villosae. Differt a R. villosa stipulis inferioribus obtusissimis costa aculeatis more R. caucasicae, foliolis rotundioribus, excepta cracoviensi, calycis pinnulis quidquam magis dilatatis, floribus intensius rubris et petalis breviter ciliatis. Fructum nondum vidi. p. 66.

R. Czackiana. Bess. quam dixi in memoriam illmae. familiae de instituto et horto botanico cremene-

censi meritissimae; differt a R. pumila, cui simillima, aculeis rarissimis, debilibus rectis, setis cito evanidis, foliolis longioribus et angustioribus (oblongo-lanceolatis), sesqui — imo bipollicaribus, junioribus livescentibus, stylis elongatis superne nudis in capitulum hemisphaericum conglobatis, floribusque majoribus. Fructus huic globosi. Fruticulus sesquipedalis. p. 66—67. An vera R. pumila, cum R. austriaca saepius loco hujus habeatur? T.

R. *dimorpha*. R. mollis Swartz. Steven in litt. Similis R. tomentosae nostrae, a qua differt foliolorum serraturis plerumque eglandulosis, odore balsamico distincto, floribus minoribus, pallidissime carneis, fructuque globoso, majore. Cremeneci in dumetis. p. 19.

R. *frutetorum*. Frutex inter indigenas Rosas fere maximus, 8 et ultra-pedalis; folia cinerascenti-intense-viridia, serraturis subgeminatis, eglandulosis. Petioli, calycum laciniae pinnatae, saepius setis rubris brevibus glandulosis sparsis instructae. Stipularum et bractearum serraturae minu-

tae, glandula terminatae. Flores subsolitarii, breviter pedunculati. Petala emarginata, pulchre rubra, basi pallidiora. Fructus subglobosus, magnus, ruber. Cremeneci in frutetis. A. R. solstitiali colore et forma foliorum, colore floris et forma fructus distincta. p. 18—19. Styli liberi. Fructus globosi aut subglobosi, coccinei. p. 61. An ad seriem Rauianam referenda? T.

R. Friedlaenderiana. Bess. in Cat. Sem. h. bot. Crem. 1819. Si Rosam, quam in horto e seminibus caucasicis colimus, L. B. Marschall a Bieberstein in Supplemento p. 352. pro caucasica agnoscit, etiamsi forma foliolorum, colore, serraturis, calycibus et villositate minore stylorum differat; tunc R. Friedlaenderiana, quam e Podolia attulit Andrzejowscius, aegre qua species erit conservanda. Differt autem a vera R. caucasica, cujus specimen ibericum a cel. auctore mecum communicatum coram me habeo: 1.) foliolis rotundatis, simpliciter serratis, subtus cinereis; 2.) stipulis dorso solum glandulosis; 3.) pedunculis glanduloso-hispidis, calycibus eglandulosis; 4.)

fructibus ovato-globosis; a culta vero: 1.) humilitate (nostra etiamsi jam 1819 floruit, tamen nec usquedum sesquipedalis, dum e contrario altera est frutex maximus); 2.) aculeis gracilioribus falcatis, nec uncinatis; 3.) foliolis multo magis rotundatis, basi in extimis saepius cordata, subtus pubescentibus; 4.) serraturis majoribus, subglanduloso-serrulatis; 5.) aculeis petiolorum tenuioribus; 6.) pedunculis glanduloso-hispidis; 7.) calycis segmentis magis glandulosis; 8.) stylis ad apicem usque villosis, et 9.) fructibus ovato-globosis. p. 63. An utraque eadem species? an Lindleyi R. caucasea a posteriori diversa? T.

R. *frondosa* Stev. p. 63—64 mihi nondum cognita: v. R. uncinella, in serie Rauiana! T.

R. *glauca. Schott.*: inter caninam, glandulosam et Kosinscianam fere medium tenet; at inermis est et receptaculum habet gracile, utrinque attenuatum. Serraturae ut in priori (R. venosa Sw.). Flores rosei; quoad magnitudinem medium tenet inter utrasque. E Podolia australi in hortum transplantavit Andrzejowscius. p. 64.

R. humilis. Videtur esse eadem ac R. humilis Tausch. sed non adhibetur auctoritas. De hac cl. Besser l. c. p. 20—21 sequentia profert: „Variat 1mo numero aculeorum, 2do petiolis uno alterove aculeo armatis, 3tio foliolis basi attenuatis, et 4to plus minusve acutis, serraturis infimis glandulosis. Affinis praeprimis R. floribundae Stev. in lit. (quae autem ad penitus aliam sectionem, Candolleanam, pertinet T.) R. pygmaeae M. B. et R. pumilae. Differt vero a prima (cujus specimen siccum possideo) a nostra habitu proceriore, aculeis fortibus, compressis, densis, valde uncinatis, foliolis minoribus, biserratis, subtus glandulosis, calycum laciniis brevioribus. R. pygmaea differt foliolis rotundioribus, subtus glaucis biserratis, serraturis glandulosis, petiolis omnibus aculeatis (haec sine dubio est R. austriaca Cr. T.); ultima denique distinguenda caule dense aculeato hispido, foliolis magis ovatis, majoribus biserratis, serraturis glandulosis, pedunculis aculeatis, calycisque tubo majori. (Hoc loco

suspicor R. pygmaeam per translocationem intendi. T.)"

R. *livescens Bess.* Frutex humilis, 1--2 pedalis, ramis lividis. Calycis laciniae plus minusve pinnatae. Flores solitarii mediae magnitudinis, rubri, petalis retusis. Styli villosi. Variat 1mo serraturis praecipue foliolorum inferiorum glandulosis; 2do calycis tubo basi nudo; 3tio setis pedunculorum raris, et 4to foliolis plus minusve rotundatis. Proxima videtur R. pygmaeae M. B. differt vero secundum descriptionem T. I. p. 397. no. 978. aculeis fere rectis, nunquam nec in caule nec in ramis deficientibus, calycis tubo basi tantum hispido et flore minore; a specimine vero sicco R. pygmaeae taurico, aculeis magis rectis, remotis, sine interjectis setis, foliolis angustioribus, magis acutis, floribusque minoribus. p. 20.

R. *pumila et pygmaea M. B.* T. I. p. 397. sunt species sibi proximae. Forma tubi calycis et fructus sola fere has species constanter distinguit. Reliquae differentiae ambiguntur. Variat 1mo aculeis et setis densioribus et rarioribus, et caule ramis-

que subinermibus; 2do foliolis ovatis, acutis, minoribus et angustioribus; 3tio calycis tubo nudo. (Hoc loco suspicor commixtionem R. pumilae, austriacae et pygmaeae. T.) In specimine taurico caulis fere inermis, serraturae simplices, obtusae. Petioli pubescentes. Calycis tubus glaber, basi tantum setosus. Haec proxima R. humili meae (et Tauschii! T), a qua tamen forma foliorum, serraturis et glaucescentia paginae inferioris foliolorum sufficienter differt. R. pygmaea calycis tubo elliptico utrinque attenuato variat: 1mo petiolis aculeatis; 2do foliolis latioribus et obtusioribus; 3tio calycis tubo glabro. pag. 21.

R. pygmaea, pumila et Czackiana, cujus semina e horto nomine Rosae livescentis divulgavi, adeo sunt affines, ut ardue sint distinguendae: aculei tamen fortiores, adunci, quos quidem desidero in specimine taurico, ab ill. Steven mecum communicato, foliola subtus glabra, styli brevissimi vix tubum aequantes et fructus ovati R. pygmaeam distinguere videntur. R. pumila valde polymorpha variat: *α*.) foliolis subsimpliciter serratis,

serraturis obtusis, setis et aculeis horrida, e Podolia; β.) foliolis argute biserratis, valde setosa, et aculeata, ibidem; γ.) fructu subgloboso, foliolis obtuse subsimpliciter serratis; subinermis; e Weselce Podol. occidentalis. δ.) fructu eodem, foliolis argute biserratis, subtus minus pallidis, glabriusculis; satis setosa et aculeata; e Podolia. p. 66.

R. *terebinthinacea Bess.* Calycis tubi elliptici basi attenuata, pedunculisque setoso-hispidis, petiolis pubescentibus, cauleque aculeatis, aculeis compressis, rectis, foliolis ellipticis, biserratis, supra pubescentibus, subtus subtomentosis. Frutex magnus, ramis rubentibus. Aculei rubri. Foliola magna, serraturis subglandulosis. Lignum recens Pinum sylvestrem redolens. Flores corymbosi, pedunculis ramosis, sat magni, carnei, petalis emarginatis. Calycis laciniae emarginatae. Lecta cum aliis in ripis abruptis Tyrais prope Zaleszczyki. Variat 1mo calycis tubo integro, setoso; 2do aculeis longioribus et brevioribus, rarioribus et densioribus. Affinis R. tomentosae, a

qua differt magnitudine omnium partium majori, odore foliorum terebinthinaceo, foliolis latioribus, obtusioribusque, et praeprimis calycis forma graciliori, utrinque magis attenuata, aculeisque rectis. Fructum hujus nondum vidi. p. 21. In eodem opere p. 61. cel. auctor hanc refert ad familiam R. caninae. Tandem p. 66. de eadem dicit: „Fructus elliptici aut ovati, coccinei, calyce patentissimo, aut subreflexo deciduo. Differt a R. tomentosa etiam flore majore et corymbis compositis (nec desunt tamen et huic ramuli uniflori), aculeis fuscis majoribus validioribusque, et calycum pinnulis lanceolatis, quae ibi subulatae.“ Haec est eadem species, quam ego in Tomo I. Synodi R. terebinthinam dixi, et quae Thoryo apud Redouteum R. villosa terebinthina audit. Tomo I. jam impresso non potui nomen mutare, nec Besseri auctoritatem addere. Nunc tandem et patria et fructus hujus speciei abunde patefacti sunt. T.

R. venosa Sw. (saltem pro ea habet ill. Steven) quae differt a R. canina foliolis subtus albo-glaucis, re-

ticulato-venosis, magis biserratis, aculeis longioribus, falcatis, imo rectiusculis. Flores parvuli. R. caninae var. β. Primit. fl. Galic. nondum hic reperi. R. caninam glandulosam cl. Rau, cui foliola subbiserrata, serraturis plus minusve glandulosis, possidemus quoque in Volhynia. p. 64. Species mihi penitus ignota. T.

R. *Wolfgangiana Bess.* A R. Czackiana recedit iterum, ceterum illi proxima, ab ill. Colon. Ratomski in sylva prope Wielhor in distr. Rowniensi lecta, foliolis minus glandulosis, receptaculo graciliori, coarctura colli intra stamina conice elevata, petalis pallidis minoribus, stylis longissimis superne pubescentibus, liberis, fructu, setis evanescentibus subnudo, pyriformi. Hanc singularem speciem dedicavi in honorem Florae lithuanicae cultoris indefessi, Professoris Pharmacologiae et Pharmaciae in Caes. universitate Vilnensi etc. Wolfgang mihi amicissimi. p. 67. Valde optanda esset uberior descriptio et legitima diagnosis hujus speciei de serie Jacquiniana. T.

R. *floribunda Stev.* Rosa haec nunc in horto est fru-

tex 5pedalis (ideo nomen illi non conveniens mutavi in honorem ill. Colonelli Justini Ratomski de Flora nostra meritissimi) aculeis confertis, rubentibus more caninarum. Petioli aculeati, aculeis aduncis. Foliola e majoribus 7na. Ramuli superne sparse setoso-aculeati. Receptaculum saepius setoso-hispidum. Flores sat magni pallide rosei. Styli villosi. Stigmata in capitulum conglobata. Fructus ovati, coccinei. Calycis segmenta in fructu reflexa, decidua. Proxima R. Boreykianae; differt vero: aculeis aduncis, confertis, foliolis minoribus, angustioribus, concoloribus, minus pubescentibus, floribus paucioribus, et quidquam minoribus, stylisque magis villosis. p 65.

R. floribunda Stev. M. B. Suppl. p. 343. R. parvula H. charkow. In Podolia rarior. Inter Torszow et Kowel in Volhynia legi Rosam florentem, quae forte propriam statuet speciem; at unicum solum fruticem vidi, tunc adhuc (initio Junii) vix florentem. Frutex 2—3 pedalis, cortice fusco, nitido, aculeis subulatis, rectis, deflexis, parum compressis, basi elliptica, sparsis, praecipue in-

fra stipulas 3—4; superiores graciliores non deflexi. Stipulae lineari-oblongae, acutae, margine glanduloso-ciliatae, dorso glandulosae. Petioli villoso-pubescentes, glandulosi, plus minusve aculeati. Foliola 5—7, elliptica, acutiuscula, parvula, utrinque villoso-pubescentia, biserrata, serraturis et subtus glandulosa. Bracteae ellipticae, cuspidatae, pedunculis longiores, dorso glandulosae; pedunculi 2—4 semipollicares cum receptaculo obovato, violaceo, setis glanduliferis adspersi. Calycis segmenta pinnulis paucis lineari-lanceolatis instructa, dorso glanduloso-hispida, intus tomentosa, petalis breviora. Flores intense rosei, parvi (vix R. rubiginosae). Corolla patens, petalis subbilobis, margine inaequaliter ciliatis. Haberem pro varietate villosa R. rubiginosae, at aculei recti et petala ciliata contradicunt. Ceterum fere R. villosam parvifoliam refert. p. 68. Adsunt hoc loco duae species nomine eodem praeditae, et nulla harum cum nostra in serie Candolleana tractata convenire videtur. Plane non intelligo, quid cel. auctor cum illis in-

tendat? Praecedentem quidem alio nomine, scil. Ratomskianae distinguere velle videtur. Sed plura restant dubia, e. gr. an utrasque pro una eademque specie habeat? an putet eandem esse cum R. floribunda M. B. et quidem unitam, nec ne? an ill. Steven utramque nominaverit R. floridam? ànve error typographicus forte subversetur? et sim. T.

R. montana. Stev. In quantum e parvo specimine taurico ab ipso auctore benevole mecum communicato video, differt a R. alba: foliolis minoribus, inaequaliter, imo subbiserratis, bracteis pedunculis vix pollicaribus longioribus, receptaculo elliptico, petalis parvis calyce brevioribus. Nostra pedunculis glabris variat. Ex Obodowka Pod. austr. Andrczowsci. p. 65. Desideratur hujus speciei diagnosis et descriptio. T.

R. poteriifolia Bess. Ad calcem expositionis varietatum suae R. spinosissimae dicit cell. Besser: „Ab omnibus recensitis recedit R. poteriifolia m i h i, ad Tyram ab Andrzejowscio lecta foliolis glaucescentibus. Ceterum parvula, pedunculis et re-

ceptaculo glabris. Styli subvillosi. Fructus maturos nondum vidi: ideo mihi hucusque dubia, et specie eam a spinosissima nondum separo.“ p. 62.

R. *spinosissima* (R. pimpinellifolia nobis.), quacum, uti jam suo loco dixi, suam R. microcarpam (R. Besseri nob.) in unam conjungit, ita conflata species est, de qua p. 81. sequentia profert: „Cl. Wahlenberg in Flora upsaliensi R. spinosissimam definit: R. fructibus superne depressis, laevissimis mollibus, aculeis stipularibus, rectis, spinulisque stolonum creberrimis deciduis, foliolis ellipticis, subtus cinereis, simpliciter serratis; atque citat ad eam qua synonima inter alia R. spinosissimam Linne. Fl. Suec. ed. 1. no. 407. ed. 2. no. 442. (excl. adumbr.) R. majalem Retz. Obs. III. p. 33. R. cinnamomeam. Sm. Engl. Bot. Vol. XXXIV. t. 2388. At ex citatis Bauhini historia et Pinace ab immortali Linneo et in Fl. Suec. edit. 2. l. c. et in editione altera holmiensi Specierum plantarum p. 705., ubi seorsim mentionem fecit R. cinnamomeae, atque ex descriptione in Flo-

ra svecica l. c. subjuncta, quam quidem excludit cl. Wahlenberg, (nescio quam ob causam) putarem, d. Linneum R. spinosissimam nostram intellexisse, nec concipio, quare Rosam fere subinernem nominasset spinosissimam, nisi quod eadem Rosa sub coelo septentrionaliori sit frutex parvus, surculis stolonibusque junioribus spinosissimis, ut utar verbis cl. Afzelii in Tentamine I. de Rosis suecanis. In herbario attamen Linneano nomine R. spinosissimae conservatur specimen ejusdem, quae in cel. Smithii Engl. Bot. Vol. III. t. 187. est adumbrata, quaeque nostrae videtur varietas fructu minus depresso, sanguineo."

R. uncinella. Speciminibus intermediis adeo jungitur cum R. frondosa. Stev., cujus specimina taurica et austriaca a b. Schiwereckio lecta possideo, ut pro eadem haberem specie, nisi receptaculum, quod in mea est ellipticum, esset ovatum, superne eximie attenuatum, et pars colli receptaculi intra stamina in tubum conicum elevata. Nostrae sequentes possideo varietates: *α.*) fo-

liolis brevioribus, magis rotundatis, junioribus rubentibus utrinque, adultioribus solum subtus pubescentibus, manifeste biserratis, petiolis aculeatis. R. uncinella M. B. ad Hypanim. Haec proxima R. frondosae. β.) foliolis magis ellipticis, acutioribus, minus aequaliter biserratis, pubescentibus. Ad Tyraim. γ.) foliolis subbiserratis, solum subtus ad costam, et petiolis pubescentibus; s. R. uncinella legitima, cui flores carnei, calyci subaequales, styli superne nudiusculi, liberi, fructus elliptico-globosi, coccinei. In sylvis quoque Podol. austr. Andrzowski. δ.) eadem petiolis glabris, setis glanduliferis aliquot adspersis. Ad Hypanim vulgaris. Andrz. ε.) eadem ut δ, petiolis aculeatis, petalis dilutissime carneis. R. calycina M. B. Odessae lecta a cel. auctore ad Hypanim. Andrz. ζ.) similis floribus carneis, foliolis magis biserratis, acutioribus; ad Hypanim. η.) eadem pedunculis setis paucis adspersis. Ad Hypanim. ϑ.) eadem pedunculis glabris, stylis ad apicem usque villosis; ad Hypanim. ι.) eadem ut ϑ, petiolis et costis foliorum subtus pu-

bescentibus, foliolis junioribus rubentibus; κ.) R. frondosa glabra. Stev. (e Tauria) quae parvifolia, foliolis biserratis, petiolis aculeatis, glandulosis, foliorumque costa et venis pubescentibus, pedunculis subsetosis, calycibus praecedentium, stylis villosulis, fructu ovato. Cum hac pro identica habui λ.) aliam ad Hypanim lectam, illi quidem similem, sed cui petioli glabri aculeati, receptaculum basi attenuatum, styli elongati liberi, villosuli. Haec forsan suae speciei: at paucissima solum specimina hujus vidi. μ.) foliolis elliptico-subrotundis, biserratis, utrinque pubescentibus et aculeatis, pedunculis et floribus omnino var. γ, stylis villosis. E Podolia australi Andrzowsci. p. 63—64.

In Rosarum speciebus discernendis, ingenue fateor, idea me duxit, quod non modo in hortis, sed et in ipsa libera natura de die in diem augeantur degenerando per hybriditates, translocationes et nisum a Summo Creatore omnibus creaturis inditum, omnibus rationibus, et viis sibi patentibus in statum meliorem et altiorem sese extollendi.

Per generationem non modo numero sed et diversitate augentur individua. Quod ab initio species fuerat, jam nunc est genus vel integra familia, et quod nostris diebus species vocamus, formarum diversitates sunt aliis graviores et in ipsis novissimis varietatibus agnoscendae: sed tandem ex nostris varietatibus ipsis novae exoriuntur diversitates, et sic de die in diem multiplicantur, cum interea aliae pristinae rariores fiant, vel penitus de mundi theatro dispareant. Sic in posterum forte plures nobis sic dictae Rosarum species deficient, novis in earum locum exortis, quas nondum noscimus.

Species originarias nonnisi in diversissimas formas degeneratas cognoscimus, et sic degeneratas Species dicere consuevimus. Quod autem in plurimis, veluti in Erica, Salice, Ranunculo, Iride, Pelargonio, Veronica, Carice, Cypero et multis aliis facimus, hoc etiam in Rosarum diversitate considerare suadet analogia et rationis consequentia. In eo itaque sensu species Rosarum vocamus diversitates earumdem graviores, quas generatione pro-

pagatas videmus, vel saltem propagandas verosimillimum credimus, sint jam recens natae, sive a longo jam tempore cognitae. Sic enim omnes non modo Botanici, sed omnes quoque Zoologi et Mineralogi recentiores suas Species discernere solent. Si species originarias tantum distinguere vellemus, unica solum existeret Rosa, Pinus unica, Quercus unica et s. p.

Plures, non dubito praeter haec principia, deleri de nostris debebunt Rosarum species: sed primarium est; omnia, quae Curiosi usquedum observarunt, diligenter colligere et fideliter componere. In ceteris plantarum generibus idem intendendum est. Interea forte nullum genus ex cognitis adeo anomalum est quam hoc Rosae. Multo facilius negotium fuisset, species distinctissimas solas exponere, reliquas ceu varietates illis subjungere, dubias vero et non nisi indigitatas silentio praeterire: sed hac ratione Botanice non illustraretur, sed potius in tenebras reduceretur. Omnia, quae limitibus mei valoris attingi poterant, imo ipsas brevissimas indigitationes, conferre volui et ita componere,

ut eo facilius a judicio melius eruditorum deliberari possint et dijudicari. Si non omnibus illorum votis satisfeci, intime doleo, quod imbecillitas ingenii viriumque intentioni meae non respondeat. Sed praesentis operis institutio talis est, ut omnes errores facillime corrigi queant, et omnes defectus expleri.

Si primae Monographiae nostrae minus perfectae appareant, favores sodalium et patronum pro futuris tanto magis exstimulabunt nostram diligentiam, imo labores ipsorum intermixti Totius valorem augebunt, et sua gravitate nostrorum levitatem explebunt.

Scribebam Viennae die 23. Maji MDCCCXXIII.

T.

Anmerkung.

Dieser Band besteht aus

Titel und Vorrede mit * und ** (p. I—XXVI) bezeichnet;

Rosaceae. Diese bestehen in diesem Bande aus $29\frac{1}{4}$ Bogen mit den Signaturen: 1 bis 234 im linken Ecke jedes Blattes.

Besondere Beilage: Berichtigung von Hrn. Dr. Steudels Bedenklichkeiten. 1 Bogen.

Antwort

auf die

Bedenklichkeiten des Herrn Doctor Steudel, die Er im zweiten Bande der Denkschriften der kön. baier. botanischen Gesellschaft in Regensburg, gegen die Ausführbarkeit der Synodus botanica geäußert hat.

Die Bedenklichkeiten, welche der verehrungswürdige Herr Doctor Steudel gegen die Ausführbarkeit der von mir angekündeten, und bereits auch wirklich angefangenen Synodus botanica erhoben, überzeugen mich von der Nothwendigkeit einer ausführlichen Darstellung aller Ideen, Absichten und Verhältnisse, die man vor Augen haben muß, wenn man über diese Angelegenheit ein richtiges Urtheil fällen will. Denn, wenn schon solche Männer, wie Herr Dr. Steudel, nach den bisher ergangenen Kundmachungen, den wahren Gesichtspunct der Sache verfehlen, und Gebrechen, die nach dem Grundbegriff derselben gar nicht möglich sind, zum voraus tadeln, und daher einseitig und grundlos urtheilen, so muß ich billig besorgen, daß minder gelehrte oder gar nicht eingeweihte meine bisherigen Ankündigungen völlig mißverstehen, und, der Himmel weiß, wie unrichtig und verkehrt deuten dürften. Es ist durchaus nicht meine Absicht mich über jene Mißdeutungen des Herrn Dr. Steudel zu beklagen, oder ihm Vorwürfe zu machen: ich fühle mich vielmehr demselben dankpflichtig, da er mir gleichsam den Vorhang der öffentlichen Ansichten gelüftet, und mir Ver-

anlassung verschafft hat, diejenigen Verhältnisse, welche von Vielen irrig aufgefaßt werden könnten, besser zu erörtern und vor Mißverständnissen zu bewahren. Ich gehe daher die Aeußerungen des Herrn Dr. Steudel Punct für Punct durch, und begleite sie im Folgenden mit meinen Antworten:

I. In der Ueberzeugung, daß ein solches Unternehmen nicht von einem Einzelnen ausgeführt werden könne, fordert er alle Botaniker der Welt auf, ihre Arbeiten, Entdeckungen und Bemerkungen über Botanik ihm einzusenden, um von denselben Gebrauch machen zu können. St.

Antw. In der Ueberzeugung, daß ein solches Unternehmen von keinem Einzelnen vollendet werden könne, habe ich die königl. baier. botanische Gesellschaft in Regensburg, als einen unsterblichen Körper, gebethen, für den Fall meines Todes, oder Untauglichwerdens, einen Redacteur zu stellen, und diese erhabene Gesellschaft war so gefällig mir und meinem Verleger diese Gewährschaft zu leisten. (S. Syn. bot. T. I. Proleg. p. 4.) Weiters habe ich keine Aufforderung von solcher Art, wie Hr. Dr. Steudel erwähnt, jemahls in die Welt geschickt: denn es geziemt mir nicht, Jemanden zur Mittheilung aufzufordern; ich halte derlei Anmaßungen vielmehr für sehr wilde Auswüchse unseres Zeitalters, die den Fortschritten der Botanik vielmehr hinderlich, als nützlich sind. Freiwillige Mittheilungen erwarte ich von der bekannten Bereitwilligkeit unserer Mitgenossen im Dienste Florens, und ich werde solche jederzeit eben so zu ehren und zu beachten wissen, wie ich die-

ses in den ersten vier Bänden dieses Werkes gethan und gezeigt habe. In der That habe ich auch weit weniger Ursache, nach solchen Mittheilungen zu geitzen, als vielmehr ihrer Ueberschwemmung zuvorzukommen. Wer meine Monographie der Rosaceen durchsieht, wird auf den ersten Blick gewahr werden, daß mir schon jetzt so viele Materialien zu Handen stehen, und unter der Arbeit zufließen, daß man billig über den Reichthum unserer vorräthigen Entdeckungen und Beobachtungen erstaunen muß, und daß es besser ist, mit diesem einen Abschluß zu machen, und die spätern Mittheilungen den **Additamentis** vorzubehalten, als mit Abwartung solcher immer nachfolgender Beiträge, die endliche Bekanntmachung und Zusammenstellung des bereits Geleisteten zu verzögern. Wenn Herr **Dr.** Steudel geneigt ist, mir, wie ich nicht zweifle, Gerechtigkeit wiederfahren zu lassen, so wird er mir zugestehen, daß ich schon in dieser meiner ersten Monographie der Rosaceen von viel mehr Arten Beobachtungen und Diagnosen gesammelt habe, als er in seinem, übrigens höchst interessanten Nomenclator nur Nahmen und Synonimen zusammengebracht hat. Es ist wahr, ein beträchtlicher Theil dieser Arten mag vielleicht in der Folge verworfen, und für Varietäten erklärt werden: aber es liegt doch sehr viel daran, die bisher darüber angestellten Beobachtungen und Aeußerungen der Naturforscher zu sammeln, und gesammelt sie nach einem analogen Verhältniß aufzustellen, und so der Beurtheilung der Kunstrichter vor Augen zu legen; bei welcher Gelegenheit ich nicht ermangelte, auf besondere Verhältnisse, Beziehungen, Mängel und Anforderungen aufmerksam zu machen. Eigentlich hört ja die Synode gar nie auf, sich durch Nachträge zu er-

gänzen und zu berichtigen. Man müßte also ewig warten, wenn man die letzte Ergänzung der Naturforscher vor der Herausgabe der Synode abwarten wollte. Ich glaube daher mit einer solchen Bearbeitung der natürlichen Pflanzenfamilien, wie die gegenwärtig vorhandene Monographie von jener der Rosaceen ist, unbedenklich ans Licht treten, und noch so viele andere, als man wünschen wird, nachliefern zu dürfen, ob die ganze Reihe dieser Monographien schon in zehn, in zwanzig, oder in fünfzig Jahren zu Stande kommen möge. Jede Monographie ist für sich ein completes Werk, und jede dieser meiner Monographien ist fähig durch Additamenta späterer Entdeckungen und Untersuchungen noch weiter ergänzt und berichtigt zu werden. Vor der Hand liegt nichts daran, ob die erste Grundlage der Synode früher oder später vollendet wird: das Nähmliche ist ja auch der Fall bey den Werken von De Candolle und Schultes: aber die Synode kann ewig completirt und verbessert werden, nie die anderen Werke!

II. Um dem Werke eine nicht so bald alternde Brauchbarkeit und eine ewige Verjüngung zu sichern, soll jede Gattung monographisch behandelt, und jeder Species ein eignes Blatt gewidmet werden, durch welche Einrichtung es leicht werde, die neuern Beobachtungen, und Verbesserungen nachzutragen und einzuschalten, ohne daß das ganze Werk erneuert werden müsse. St.

Antw. Die monographische Behandlung ist es nicht die dieses Werk vor dem Altwerden sichert. In dieser Hinsicht war es wohl ganz gleichgültig, ob ich die Ordnung

der natürlichen Verwandtschaft, oder die irgend eines künstlichen Systems, oder endlich jene des Alphabets wählen möchte. Die Monographienweise ist hier nur darum vorgezogen worden, weil durch sie allein jedem möglich denkbaren Fall ein Ziel gesetzt, und das Publicum vor den Unannehmlichkeiten jeder Störung gesichert wird. Jede Monographie ist ein Ganzes; aber ich liefere nicht, wie Hr. Dr. Steudel sagt, bloß Monographien von einzelnen Gattungen, sondern von ganzen natürlichen Familien; und selbst bey diesen hoffe ich so ziemlich den Zusammenhang zu erhalten, und werde daher auf die Familie der Rosaceen nicht etwa jene der Coniferen, sondern jene der Pomaceen nachfolgen lassen. Hätte ich die Ordnung des Alphabets gewählt, so würden die Abnehmer vor Ende des ganzen Alphabets von dem Werke durchaus keinen, oder nur einen sehr beschränkten Gebrauch machen können. Beym künstlichen System wären sie um Nichts besser daran gewesen. Herr Prof. De Candolle hat diese Inconvenienz durch sein herrliches Beispiel in Behandlung der natürlichen Familien aus dem Wege geräumt, und gezeigt, daß diese Form vor allen andern den Vorzug verdiene, selbst dann verdiene, wenn man nicht mehr einschalten, und verbessern kann. Auch er hofft nicht, das ganze Gewächsreich zu erfassen: aber seine Monographien so viel als er uns immer derselben liefern mag, werden immerhin höchstschätzbare, classische Werke seyn: es fehlt ihnen an nichts als an jener Einrichtung, die meiner Synodus die ewige Veredlung und Verjüngerung sichert. Diese aber besteht darin, daß jeder Diagnose einer Familie, Gattung, Art, und besonders wichtigen Abart ein

eigenes Blatt gewidmet wird, welches nur auf einer Seite bedruckt wird. Ein kleines Format und kleine Lettern ersetzen den Aufwand an Papier, und da nur Schreibpapier dazu verwendet wird, so kann auf der Kehrseite jeder Beobachter seine eigenen, oder fremde Bemerkungen, Berichtigungen ꝛc. hinzufügen, auch allenfalls die vereinzelten Blätter zu Devisen in Herbarien oder botanischen Gärten verwenden. Also nicht nur das Einschalten und Verwechseln einzelner Blätter ist hier zu bemerken, sondern auch die Bequemlichkeit und Freiheit, das Nachzutragende selbst auf den leeren Raum schriftlich anmerken zu können. Will jemand die Additamenta als ein eigenes Werk aufstellen und nicht einschalten, so sichern ihm auch dann die leergelassenen Kehrseiten das Vermögen, Alles das an seinem Orte einzuzeichnen, was erst später entdeckt, beobachtet und berichtiget worden. Hierin also besteht die eigentliche Unvergänglichkeit dieses Werks, von welchem man jedem einzelnen Bestandtheile einer Monographie eben so wenig diesen Vorzug absprechen kann, als nur immer dem Ganzen.

III. Dieser Plan könnte auf den ersten Anblick sehr einladend und folgenreich scheinen. Es mögen aber folgende Schwierigkeiten der Ausführung entgegen gewesen seyn: 1.) Es ist nicht zu erwarten, daß die Botaniker ihre Arbeiten und Entdeckungen dem Urtheil eines Einzelnen werden unterwerfen und die Art der Bekanntmachung von seiner Willkühr werden abhängig machen wollen. St.

Antw. Dieser Plan, worüber ich schon zu Anfang des Jahres 1817 ein gedrucktes Programm in einer Auflage von 10,000 Exemplaren herausgegeben und vertheilt habe, kann nur jenen bey genauerer Erwägung unausfuhrbar scheinen, welche ihm Eigenthümlichkeiten andichten, die gar nicht dahin gehören, und Schwierigkeiten träumen, die nur bei einer der gegenwärtigen ganz entgegengesetzten Behandlung möglich sind. Es ist auch hier schon gesagt worden, daß ich weit entfernt bin, in Jemanden um Mittheilungen zu dringen, und daß ich nur freiwillige, oder auf bloße Einladung erfolgte annehmen werde, die ich dann auch nach Möglichkeit honoriren werde. Wer mir keine Monographien liefert, dessen Beobachtungen werden entweder gänzlich unterdrückt, in welchem Falle kein Mensch ihre Aufnahme von mir verlangen wird, oder sie werden anderswo, in was immer für Werken, bekannt gemacht, und dann gibt mir der allgemeine Gebrauch das Recht, sie entweder in der Synodus selbst, oder in den **Additamentis** zur Ergänzung und Berichtigung der **Species plantarum** zu benützen. Ich redigire sie nach dem allgemeinen Muster, und erspare noch obenein das Honorar, wie bei allen jenen Auszügen, die ich aus andern schon gedruckten Werken entlehne. Uebrigens wird mir jeder billige Richter, der meine Monographie der Rosaceen nur ansieht, die Freiheit von dem Verdachte des Hrn. Dr. Steudel, als ob ich mir anmaßen wollte, die Arbeiten und Entdeckungen Anderer zu bekritteln, und nach meinen Ansichten zu verstümmeln, eingestehen. Meine Arbeit soll nichts Anderes als ein getreues Referat, und eine so viel möglich vollständige Zusammenstellung aller bisher bekannt gewordenen Ent-

deckungen und Ansichten der Naturforscher seyn, damit die befugten Sachkundigen darüber urtheilen, und die vorzunehmenden Verbesserungen vorschlagen können. Setzen wir also den Fall der versagten Unterwerfung *), den Hr. Dr. Steudel befürchtet, was soll, was kann daraus für mich für eine Verlegenheit entspringen? Ich kann jede neue Entdeckung, jede Beobachtung zur Einschaltung nachtragen, ich kann für jedes fehlerhafte Blatt in den Additamentis ein verbessertes liefern, mag die Entdeckung, mag die Verbesserung wann immer erfolgen; mögen geitzige Sammler zurückhalten, so lange sie wollen: ihr Geitz wird sich selbst

*) Es ist wirklich sehr sonderbar, daß Herr Dr. Steudel in demselben Aufsatz, in welchem er die Unterwerfung solcher Elucubrationen für ganz unwahrscheinlich erklärt, dennoch am Ende selbst einen Vorschlag macht, welchem zu Folge allen Botanisten der Welt die Freiheit benommen werden sollte von ihren eigenen Entdeckungen Gebrauch zu machen, und wornach eine literarische Dictatur gestiftet werden soll, der alle Forscher zinsbar sind! — Wer gibt denn diesem Tribunal die Macht, alle andern selbstständigen Beobachter niederzutreten? Große Herbarien kann man überall anlegen: aber die Herbarien sind eben so wenig Waffen, mit welchen man alle Botaniker der Welt sich unterwirft, als die Schätze von China zureichen, Geister zu bannen, oder dem Unverstand und der Kurzsichtigkeit einiger Einzelnen alle großen und verständigen Männer der Welt dienstbar zu machen. Freilich, wenn man letztern alle Hülfsmittel aus den Händen rauben könnte, sich zu bilden — dann möchten wohl die Beati possidentes sehr bequem ihr Unwesen treiben: aber, ehe es noch dahin kommt, wird die Synodus vollständig, und den Räubern die Pforte geschlossen seyn!

durch die Verborgenheit ihrer Verdienste bestrafen: jede öffentliche Kundgebung hingegen muß, früher oder später, der Redaction bekannt werden und also auch in die Synode aufgenommen werden! Diese Bedenklichkeit hat demnach gar kein Gewicht, und zeigt nur von einer sehr oberflächigen Kenntniß meines Planes.

IV. 2.) Durch diese vereinzelte Bearbeitung müßte das Werk in seinem Innern höchst verschiedenartig und ungleich gehaltvoll ausfallen und würde sich vor einer andern Compilation wenig auszeichnen, wenn nicht dem Redacteur zugleich alle Pflanzen in getrockneten Exemplaren zugeschickt würden. St.

Antw. Wenn nun einmahl eine ganze Monographie, wie jene der Rosaceen, vorhanden ist, wenn noch mehrere dergleichen von mir selbst bearbeitete vorhanden seyn werden, und wenn ich jedem Mitarbeiter es zur Bedingniß auferlege, seine Monographie ganz gleichförmig auszuführen, oder sichs gefallen zu lassen, daß ich sie nicht aufnehme: wer könnte noch mit Grund an der Gleichförmigkeit der Bearbeitung zweifeln? — Jene Ungleichheit hingegen, die auch in Linnee's, Murray's, Gmelin's, Persoon's, Houttuyn's, Jussieu's, Desfontaine's, De Candolle's, De la Marck's, Poiret's, Vahl's, Willdenow's, Schultes's und Sprengel's Werken in die Augen fällt, und die eigentlich nichts weiter als die temporellen Gränzen unserer Forschungen bezeichnet, wird hoffentlich Niemanden beleidigen, sondern nur die Puncte angeben, von denen aus unsere Nachfolger ihre Untersuchungen fortsetzen sollen. In den gewöhnlichen

Werken sind dieß zwar Lücken, und bleiben Lücken, bis eine neue Schöpfung oder totale Umarbeitung des Ganzen sie ausfüllet, und neue andere an ihre Stelle bringt: hier aber in der Synode sind sie die Morgenröthe des herannahenden Tages, dessen Erheiterung nicht fehlen kann, weil allmählig volle und verbesserte Blätter an die Stelle der Unvollendeten treten. — — Wie? und eine solche Bearbeitung sollte sich nur wenig vor einer andern Compilation auszeichnen? Gibt es bisher in der ganzen Literatur ein Werk, das sich so wie die Synodus botanica zur ewigen Brauchbarkeit eignet, das die Verdienste aller Mitarbeiter verewigt, und das, ohne je umgearbeitet oder neu aufgelegt zu werden, anstatt zu veralten, vielmehr mit jedem Tage vollständiger, richtiger und fehlerfreier werden muß? Wenn Hr. Dr. Steudel unsere Ankündigung, oder auch nur den Abdruck davon in der Flora, oder botanischen Zeitung gelesen, wie konnte er über eine so wichtige Tendenz mit jener Geringschätzung absprechen, und sie in die Cathegorie elender Compilationen verweisen? — — — — Ob es aber nöthig sey, daß mir alle Botaniker der Welt ihre Entdeckungen in getrockneten Exemplaren mittheilen? Auf diese Frage ist sehr leicht zu antworten. Jene Herren Botaniker, die ihre Entdeckungen nicht selbst beschreiben, oder mich über die Uebereinstimmung ihrer Beschreibungen mit der Natur zu Rath ziehen wollen, thun freilich am Besten, wenn sie gut getrocknete Originale einsenden. Außerdem scheint mir diese Bedingniß übertrieben zu seyn. Die Unterzeichnung der Nahmen unter das Product jedes Beobachters sichert mich vor jedem Vorwurf, und wenn ein anderer in seiner Beobachtung etwas Unrichtiges angibt, so wird

der Tadel nur ihn treffen: er mag also gleichwohl selbst seine Pflanze genau untersuchen, und richtig beschreiben; so wird wenig daran liegen, ob sie der Redacteur gesehen habe, oder nicht. In meiner Monographie der Rosaceen findet man Beispiele von jeder Art: ohne Mittheilung, mit schriftlicher Mittheilung, mit Mittheilung bloß getrockneter Pflanzen, und mit Mittheilung von beiden zugleich. Natürlich fällt die eine Diagnose vollständiger aus, die andere minder: aber das liegt in der Natur der Sache, weil es doch vor der Hand tadelnswerth wäre, die minder vollendeten Beobachtungen ganz mit Stillschweigen zu übergehen, da man doch nicht wissen kann, wie lange es noch hergehen dürfte, bis wir davon bessere erlangen. Und haben das bisher nicht alle Schriftsteller der Species plantarum, alle Encyclopädisten, Floristen und Monographisten gethan? ist dieß nicht gerade das sicherste Mittel, die baldige Berichtigung unserer Zweifel und Mängel zu befördern, die sonst nur allzu leicht in Vergessenheit gerathen, und vernachlässigt werden dürften? Man lese also meine Beispiele in der Monographie der Rosaceen, und jeder der dazu Gelegenheit findet, wird gleich sehen, wo eine Ausfüllung der Lücken oder eine Berichtigung vonnöthen ist. Er kann nun ganz nach seinem Gefallen diese der Redaction mittheilen, oder in einer Zeitschrift, oder in einem besondern Werk bekannt machen, und versichert seyn, daß sie in einem Falle wie in dem anderen der Synodus werde einverleibt werden, insofern sie anders interessant und brauchbar ist.

V. 3) Der Umfang des Werkes müßte sehr groß werden, und es wäre mit höchster Wahrscheinlichkeit voraus zu sehen, daß

es unvollendet bleiben werde, indem es von dem zu kurzen Leben eines Einzelnen abhinge. u. s. w. St.

Antw: Allerdings muß die Synodus botanica, wenn sie vollständig werden soll, ein sehr großes Werk werden. Aber ohne auf die großen, zahlreichen encyclopädischen, und periodischen Werke hinzudeuten, sind das nicht auch die Werke von Schultes und De Candolle, wenn sie complet werden sollen? Und kann man bey dem Besitze solcher Werke wohl alle andern entbehren? Aber die Synodus botanica macht alle andern botanischen Werke, so weit als ihre Bestandtheile reichen, entbehrlich! Alles was zur Erkennung einer jeden Species erforderlich ist, wird hier aufgesammelt, so weit nähmlich als alle eigenen und fremden mitgetheilten oder öffentlich bekannt gemachten Beobachtungen reichen. Wer da, um Pflanzen kennen zu lernen, noch ein anderes Werk anschafft, der muß es nur aus Liebe zum Büchervorrath, oder aus Bequemlichkeit bey Bilderwerken, aus Luxus, oder wegen Einstreuung anderweitiger Notizen thun: denn in der Synodus botanica kann er nichts auf längere Zeit vermissen, was ihm zum Zweck der Determination der Pflanzen nöthig ist. Wer aber bedenkt, was eine auch nur nothdürftige botanische Bibliothek kostet, der muß den ungeheuern numerären Vortheil eingestehen, den er sich durch die Eigenmachung der Synodus bot. vermittelst Ersparniß zu verschaffen im Stande ist. Sagen wir also, der Betrag der Synodus dürfte sich in etwa 50 Jahren auf 4 bis 500 fl. belaufen: was ist das für eine Kleinigkeit gegen den Betrag jener botanischen Werke, die man sich außerdem binnen einem Zeit-

raume von 50 Jahren anzuschaffen genöthiget seyn dürfte, und die man nun vollends entbehren kann? Allein wie viele gibt es nicht überdieß der Kräuterkunde Beflissene, die das ganze Referat der Synodus weder verlangen, noch anzuschaffen im Stande sind? Hier zeigt sich ein neuer Vorzug unserer Unternehmung. Arme Botaniker können sich mit einzelnen Monographien nach ihrer Wahl und Bedürfniß begnügen: das konnte bisher bey fortlaufenden Werken, wie jenen von Willdenow, Schultes ꝛc. nicht geschehen; sie mußten das ganze Werk nehmen, oder hatten zum mindesten außerdem nur ein abgerissenes Bruchstück, während unsere Monographien, auch einzeln betrachtet, lauter ganze Werke sind.

So wenig als der Umfang, kann auch die Dauer der Erscheinung dem Fortgange der Synodus ein Hinderniß stellen. Es ist schon hier oben, es ist in der Ankündigung und in den Prolegominibus des Werkes selbst gesagt worden, daß es nach meinem Tode an einem Redacteur nicht fehlen könne. Hr. Dr. Steudel muß doch diese Ankündigung gelesen haben? — Wie, oder hätte er sein Urtheil ausgesprochen, ohne nur einmahl sich um eine richtige Kenntniß von dem Plane der Sache zu bekümmern? — Da es nun aber grundfalsch ist, daß ihre Vollendung von dem Leben eines Einzelnen abhange, so ist es eben so falsch und widersinnig, daß sie aus diesem Grunde unvollendet bleiben müsse. Wenn man die Synodus botanica als ein Werk betrachtet, das alle Entdeckungen, Beobachtungen, und Berichtigungen der Botaniker erschöpfen soll; so ist ihre Vollendung gar nie zu erwarten: denn die Beobachter werden dergleichen nach tausend Jahren noch liefern: in-

dem die Natur selbst, das Object, unerschöpflich ist, folglich auch ihr Studium nie als vollendet angesehen werden kann. Begnügt man sich aber vor der Hand mit einer Aufsammlung, wie etwa jene angefangenen von De Candolle und Schultes sind, so kann das Fundamental-Werk, die angefangene Synodus, ohne Additamenta, in 15, ja, bey gehöriger Unterstützung in 10 Jahren, oder noch früher vollendet seyn. Ich kann die Hälfte, oder mehr als die Hälfte der Monographien an ein halbes Hundert anderer Botaniker übertragen; ich kann mich, wenn der Wunsch des botanischen Publicums damit verlautbar übereinstimmt, in der Aufnahme der Arten auf die bestimmtesten einschränken, und alles Uebrige auf die Additamenta versparen. Dann könnten 20—24 Bände in einem Jahre erscheinen, und 30,000 Species zur Grundlage genügen, die ganze Synodus, als bloße Grundlage, demnach in beyläufig 8 Jahren vollendet seyn.

Allein, warum sich so übereilen? Ich liefere einstweilen als Bestandtheile der Synodus bot. so viele Monographien, als mir bey fortwährender Dauer des Lebens und der Gesundheit möglich seyn wird, und lasse mitunter einige andere von tüchtigen Mitarbeitern besorgen. Wahrscheinlich erscheinen bis dahin auch einige Bände Additamenta: und, wenn dem Publicum die ganz einzelnen Monographien von Lehmann, Nestler, Schkuhr, Host, Jacquin, Humboldt, Acharius, Agardh, Fries, Persoon, Bridel, Hoocker, Sowerby, Redoutee, Cavanilles, Poiret, Trinius, Collodon, Sprengel ꝛc. willkommen sind, warum sollte es diese meinigen verschmähen, die, außer der gesteigerten zeitlichen Vollständigkeit, auch noch einer

fortwährenden Vollendung, ohne jemahliger Umarbeitung fähig sind? Nach meinem Tode wird das Publicum weder eine Unterbrechung noch eine Veränderung zu besorgen haben, weil der Redacteur wohl jedesmahl den Uebelstand selbst bemerken müßte, wenn einmahl nur 10 — 20 Bände vorhanden, und diese als das Prototyp für alle nachfolgenden angenommen sind.

Es sind nun bereits 6 Jahre seit der ersten Publication dieses meines Vorhabens vorübergegangen. Ich habe seit dieser Zeit so viele verständige Männer darüber zu Rath gezogen, so viel an meinem Plane gefeilt, so viele Proben angestellt, daß ich mich für völlig beruhigt halte, und daß, meinen Gründen gegenüber, auch die Einwendungen des Hrn. Dr. Steudel, mir kein Besorgniß über den Fortgang der Sache erwecken. Sollte aber auch für den gegenwärtigen Zeitpunct literarische Apathie, Geldmangel, Mißverständniß oder was immer diesen Fortgang auf einige Jahre hemmen; so bin ich ganz überzeugt, daß man nach einiger Zeit, vielleicht auch erst nach meinem Tode, diese Idee wieder ergreifen, und zur Ausführung bringen werde. Denn diese wird täglich mehr zum Bedürfniß; die beste Bearbeitung der Species plantarum auf jede andere Weise wird in den ersten Bänden mank, eh' noch die letzten erscheinen; die Materialien werden immer häufiger, und je größer der Umfang eines solchen Werkes ist, desto verdrüßlicher ist die unvermeidliche Nothwendigkeit, es wieder verwerfen, und eine neue eben so wenig haltbare Umarbeitung an dessen Stelle aufnehmen zu müssen.

Hätte Hr. Dr. Steudel Unvollkommenheiten an meiner persönlichen Bearbeitung, oder im Detail des Planes

getadelt, so würde ich dankbar gehuldigt, und mit gebührender Aufmerksamkeit seine Winke befolgt haben: da er aber die Sache selbst angreift, und, wie man sich hier klar überzeugt haben muß, ohne sie hinlänglich zu kennen, verwirft, eine Sache, deren Nützlichkeit so viele und so erhebliche Gründe bestätigen: so halte ich mich für befugt und verpflichtet, seine Einwendungen zu widerlegen, und die Ideen, die man sich von einer solchen Unternehmung verschaffen muß, recht ins Reine zu bringen, und klar zu beleuchten. Vielleicht bin nur ich untauglich, eine Zeitlang diese Redaction zu besorgen? — Das wäre ganz eine andere Frage! Aber die Ausführbarkeit sowohl als die Gemeinnützlichkeit und Nothwendigkeit der **Synodus botanica** glaube ich hier gegen alle Einwürfe, und unumstößlich bewiesen zu haben.

Wien am 22ten July 1823.

L. Trattinnick.

SERIES VI.

R A U I A N A.

Aculei uncinati; foliola vel eglandulosa vel saltem inodora, irregulariter vel biserrata, plerumque glabra; flores corymbosi; urceoli ovati; fructus varii.

Species: R. collina Jacq. R. fastigiata Bast. R. Biebersteiniana T. R. erubescens Andr. R. uncinella Bess. R. calycina Bieberst. R. taurica Bieberst. R. solstitialis Bess. R. saxatilis Steven. R. laxa Thunb. R. caesia Smith. R. Borreri Woods. R. canina L. R corymbifera Gmel. R. aciphylla Rau. R. nuda Woods. R. dumalis Bechst. R. dumetorum Thouill. R. affinis Rau. R. psilophylla Rau. R. platyphylla Rau. R. geminata Rau. R. montana Vill. R. grandiflora Wallr. R. sepium Thouill. R biserrata Merat. R. trachyphylla Rau. R. Raui T. R. andegavensis Bast. R. baltica Roth. R. microcarpa Thunb. R. sarmentacea Woods. R. surculosa Woods. R. alba L. R. trichocarpa. Wz. R. bibracteata Bast. R. brevistyla De Cand. R. Kosinsciana. Bess. R. leucantha Loisel.

ROSA *collina Jacq.*

R. calycis tubo (urceolo) globoso-oviformi, basi, pedunculis petiolisque glanduloso-hispidis; foliolis ovatis, supra glaberrimis, subtus pubescentibus, subsimpliciter serratis; petiolis cauleque aculeatis. Rau.

Rosa collina Jacq. austr. II. t. 197. Willd. Sp. pl. II. 1078. Ait. h. k. ed. 2. III. 266. Rau. Enum. p. 163. M. B. flor. taur. cauc. III. 350. Wahlenb. fl. carp. p. 151.

Frutex 3 — 4 pedalis, Rosae caninae simillimus; aculei uncinati, subalbidi, in junioribus ramulis rubentes; petioli subtus aculeati. Folia 1 — 3juga, saepe cum foliolo impari ad basin folii; flores plerumque terni, vel etiam corymbosi, majusculi, pallide rosei. Laciniae calycis ovato-lanceolatae, subappendiculatae, appendicibus lineari-lanceolatis, glanduloso-dentatis. Fructus ovatus, nitidissimus, glaber, ruber intus aurantiacus. Differt a R. canina, cujus progenies esse videtur pedunculis glanduloso-hispidis, et foliolis subtus pubescentibus, simpliciter serratis, floribus, fructibusque majoribus. Interea variat foliolorum forma et pubescentia. Huc non minus referenda sunt scil. ob affinitatem eminentem, R. andegavensis, R dumetorum, R. foetida, R. leucantha, R. platyphylla e. p. a. R. collina Smith. in Engl. Bot. 1895 est R. brevistyla. Marsch. a Bieberst. Besseri R. solstitialem cum sua varietate β (germinibus pedunculisque glabris) conjungit. Pariter ipse Besser in Enum. pl. Volhyn. et Pod. p. 63. ambas conjungit, ibidemque plures unitae varietates consignat.

Hab. in Europa media in collibus, dumetis, ad vias.

ROSA *fastigiàta Bast.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis glabris; pedunculis hispidis; petiolis pubescentibus aculeatis; foliolis ovato-lanceolatis subtus pubescentibus; floribus fastigiatis. Bast.

Rosa fastigiata Bastard Suppl. p. 30. D. C. Fl. fr. VI. p. 535. Poir. Encycl. Suppl. IV. p. 711.

Rosa canina fastigiata. Desv. Journ. bot. 1813. Sept. p. 114. var. ε.

Rosa collina Nouv. Duhamel VII. p. 50.

Rosa collina fastigiata. Red. Ros. II. p. 13. c. ic.

Frutex 7 — 8 pedalis. Aculei validi, recurvi, uncinati, basi latissimi. Folia 2 — 3juga, foliolis ovato-lanceolatis, simpliciter serratis, supra nitidis, subtus et margine tomentosis; petioli pubescentes, subtus aculeolati; quandoque istius aculeoli usque ad nervum folioli terminalis continuantur. Flores fere inodori, pallidissime rosei, majusculi, subumbellati. Urceoli ovati, glabri, laciniae calycis inaequales, 3 pinnatifidae, 2 simplices. Pedunculi aequales, breves, glanduloso-hispidi. Styli liberi glabri.

Affinis R. caninae, collinae, platyphyllae, montanae, andegavensi, leucanthae et similibus quas si non in unam speciem conjungimus, etiam R. fastigiatam consequenter discernere oportet. R. umbellata Leysseri videtur esse eadem species. Vid. ejusd. Fl. Hal. I. p. 435. Thory et Wallroth interrogant; Rau negat. (vid. Rau enum. p. 89.) sed tantum quoad relationem ad R. collinam. Si fastigiata distinguitur a R. collina, tum omnino convenit cum R. fastigiata.

Hab. in sepibus, in locis subhumidis, fertilibus Galliae circa Andegavum (Anjou), nec non in Delphinatu inter St. George de Comiers et montem Lans.

ROSA *fastigiata Monsoniana*. *T.*

Distinguitur stipulis bracteisque majoribus, pedunculis longioribus, sepalis calycinis subintegerrimis, majoribus, petalisque majoribus saturate roseis.

Haec est R. systyla γ Monsoniae Lindl. Ros. p. 111. et R. collina Monsoniana Red. Ros. III. 67. c. ic. frutex tripedalis elegans, quem Redouteus ex Anglia ab ill. D. Sabine, secretario perpetuo societatis horticulturae Londinensis obtinuit, et qui primum in horto Monsoniae floruit.

ROSA *Biebersteiniàna. T.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, basi pedunculisque hispidis, aculeis caulinis recurvis; petiolis glandulosis costaque folioli imparis aculeatis; foliolis (majusculis) argute biserratis, glabriusculis, floribus corymbosis. Bieberst.

Rosa leucantha. M. B. Fl. taur. cauc. III. 352.

Simillima R. caucasicae cultae et forte varietas. Villositas in foliolis vix ulla, sed loco ejus in petiolis, et passim in foliolorum pagina inferiore glandulae resiniferae. Setae glanduliferae pedunculorum atque baseos germinum minime copiosae, parvae. Petala clausa dilutissime rubella, evoluta alba (rosea in R. caucasica). Styli pilis raris vestiti. Inflorescentia et fructus R. caucasicae. Bieberst.

Fructus legi in alpe Kaischaur Caucasi ossetici; ex seminibus in horto academico Charkoviensi satis enati sunt frutices, ad quos speciem determinavi. ♉. Bieberst.

Cum jam alia existat R. leucantha, nomen mutari debuit. Dixi itaque in memoriam primi hujus speciei detectoris, ill. L. B. Frieder. Marschall a Bieberstein, Aug. Ruth. Imp. Cons. Stat. actual. etc. cujus erga me benevolentiae et liberalitati ut et ipsius ingenio et meritis satisfacere nunquam valebo, sed et nunquam non omnibus votis intendam. T.

ROSA *erubèscens Andr.*

R. urceolis ovatis pedunculisque hispido-glandulosis, segmentis oblongis integerrimis glabris, petiolis subaculeatis, foliolis (magnis) ovato-acutis inaequaliter serratis discoloribus, aculeis caulinis sparsis solitariis; aliis rectis subsetaceis, aliis magnis recurvis, basi dilatatis, atropurpureis. T.

Rosa erubescens. Andr. Ros. fasc. 30.

Secundum Andreusii iconem et pauca commemorata, caulis fortis, aculei superne mere recti, graciles, sed in confinibus mixti cum fortioribus validis; stipulae flavicanti-virides oblongae serrulatae. Foliola late-ovata (glabra?) concava, maxime inaequaliter et fere duplicato-serrata, superne glauco-viridia, subtus canescentia. Pedunculi sat longi, dichotome cymosi et fere fastigiati. Flores semipleni, magni, pallidissime rosei, speciosi. Hispiditas pedunculorum et urceolorum minorum vere ovatorum admodum tenera.

Affinis videtur R. fastigiatae; sed differt urceolo glandulose hispido, pedunculis elongatis, et foliolis pruinoso-glaucescentibus; a R. caesia segmentis cal. simplicissimis, aculeis inaequalibus, non binato-stipularibus, foliolis late ovatis etc. Verbo, nullae specierum a me susceptarum potui ut varietatem subjungere. Quantumvis ergo hujus plantae incompleta cognitio, nil tutius superstitit quam specifica distinctio. Si mihi demonstretur species, ad quam pertineat, lubens praesentem recipiam et pro hujus illiusve varietate declarabo. T.

ROSA *uncinèlla Besser.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque glabris, aculeis caulinis compressis, recurvis, petiolis pubescentibus, aculeatis, foliolis (majusculis) lato-ovatis, acutiusculis, subsimpliciter serratis, supra glabriusculis, subtus villosis, floribus corymbosis, segmentis calycinis dilatatis, subpinnatifidis. Bieberst.

Rosa uncinella. Besser Catal. hort. Crem. a. 1811. suppl. 4. p. 21. et Cat. a. 1816. p. 119. M. B. Fl. taur. caucas. III. 349.

Foliola non vere sunt biserrata, sed potius inaequaliter serrata, ut minores serraturae majoribus quandoque inhaereant, quod quidem et in R. collina atque ipsa canina sic passim obtinet. Villositate variat, ita quidem, ut foliolorum subtus mox tantum costa venaeque, mox tota inferior pagina pubescat. Caeterum habitu, floribus et amplitudine segmentorum calycinorum R. calycinae proxima est. Utraque secundum specimen R. venosae Swartzii authenticum, mihi ab amicissimo Steveno communicatum, huic perquam etiam affinis est, et ulteriori indiget cum hac comparatione. Bieberst. l. c.

Hab. in Tauria, inter congeneres minime rara. In definitione Besseriana urceolus ellipticus, aculei caulini validi et foliola elliptica, acutiuscula, biserrata, costa, petiolisque pubescentibus. Affinis R. collinae. T.

Differt a R. canina, cui proxima, petiolis, aculeis magis aduncis, calycum laciniis maximis, caeterum viredine laeta foliorum et rubedine ramorum. Legi cum R. balsamica (R. Klukii.) Bess. En. pl. Volhyn. et Podol. p. 20. Vid. etiam Praefationem Ti. praesentis.

ROSA *calycina Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque glabris, aculeis caulinis raris, compressis, recurvis, petiolis glabriusculis, aculeatis, foliolis majusculis ovatis, acutiusculis, subsimpliciter serratis, utrinque glaberrimis, floribus corymbosis, segmentis calycinis dilatatis, subbipinnatifidis. Bieberst.

Rosa calycina. Marsch. Bieberst. Fl. taur. caucas. III. 349.

* Frutex elatus habitu R. collinae, sed praeter aculeos glaberrimus. Foliola fere concoloria; pedunculi aggregati, germine paullo longiores. Flores magnitudine R. collinae, germine oblongo-ovato, petala carnea, styli subpilosi. Besser hanc putat varietatem R. uncinellae.

Hab. in dumetis convallium portui Odessano vicinorum. Fl. Junio.

ROSA *Taùrica Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) globosis pedunculisque glabris, caule aculeis recurvis, petiolis aculeatis, foliolis hirsutis: serraturis laevibus, stylis exsertis glabriusculis. Bieberst.

Rosa taurica M. B. Fl. Taur. cauc. I. 394. Lindl. Ros. no. 19.

Habitus R. cinnamomeae, a qua differt foliis subtus magis villosis, minus glaucescentibus, petiolis aculeolis pluribus armatis, calycinis segmentis brevioribus: quibusdam basi appendiculato-pinnatifidis et stylis dimidiam fere staminum longitudinem attingentibus, basi tantum et stigmate subpubescentibus, ceterum glabris. Pedunculi saepe gemini, quandoque solitarii aut terni. Bieberst.

Hab. in dumetis Tauriae. Detexit Steven. ♉. Tomo III. p. 335. ill. L. B. M. B. dicit: „Ulterioribus haec observationibus confirmanda est in nuperimis meis itineribus tauricis non visa species. Posset ad R. collinae variet. β (R. solstitialem) pertinere.“ Et revera huic maxime affinis videtur.

ROSA *solstitiàlis Besser.*

R. fructibus ovatis, pedunculisque glabris, aculeis stipularibus aduncis, foliolis ovatis, subtus tomentosis. Besser.

Rosa solstitialis. Bess. Prim. fl. Gall. I. 324. Schult. Oester. Fl. ed. 2. II. 73.

Frutex 4 pedalis. Aculei substipulares 1 — 4, basi dilatati, uncinati, purpurascentes. Rami subdistichi, alterni, patentes, flexuosi. Stipulae serrulatae, serraturis saepe glandulosis, pubescentes. Petioli tomentosi, inermes, raro aculeo uno alterove armati. Foliola 7 late-ovata, acuminata, aut elliptica, obtusa, saepe simpliciter serrata, supra nudiuscula, exceptis junioribus, subtus cinerascenti-tomentosa. Bracteae amplae saepe foliolo unico vel ternato auctae. Pedunculi terminales, solitarii rarissime bini, vel tres, semipollicares, glaberrimi, sicut et urceolus ovatus, glaucescentes. Laciniae 2 saepius pinnatae, omnes elongatae, apice dilatatae, intus et margine albo-tomentosae, ceterum versus basim nudiusculae. Fructus ovatus, coccineus, glaber.

Hab. Leopoli et Cracoviae in sepibus et fruticetis cum congeneribus. Floret Junio, Julio. Habitu R. caninae simillima.

Illustriss. L. B. Marschall a Bieberstein (in Fl. taur. caucas. III. p. 350.) hanc cum R. sua canina (definitione perversa) conjungit. Sed nobis potius ipsius R. collina illa Besseri R. solstitialis, et non R. collina Jacquini esse videtur. Affines interim sunt procul dubio. T.

In En. pl. Volhyn. et Pod. p. 63. cel. Besser suam R. solstitialem pro varietate δ R. collinae declarat. Sed nimis ambigui sunt limites inter species et varietates Rosarum! Nobis videtur R. solstitialis in eodem sensu species esse, in quo R. fastigiata, uncinella, calycina, saxatilis, dumalis, psilophylla et plures aliae pro talibus declarari consueverunt. T.

ROSA *saxàtilis Steven.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque undique hispidis, aculeis caulinis sparsis, validis, compressis, recurvis, petiolis villoso-glandulosis aculeatis, foliolis (majusculis) ovàtis, inaequáliter argute-serratis; serraturis subduplicatis, utrinque glabriusculis, subtus pallidioribus; floribus subcorymbosis. Bieberst.

Rosa saxatilis. Steven manuscr. M. B. fl. taur. cauc. III. 348.

Affinis R. nitidulae et sim. Foliola in universum nonnihil latiora: serraturis haud ita subtiliter serrulatis, saepe simplicibus. Hispiditas germinum atque pedunculorum insignis per totam germinum (urceolorum) superficiem extenditur. Flores saepissime plures, aggregati, mediocres. Styli hirsuti. Fructus R. collinae, cui, praeter glabritiem foliolorum, haec etiam valde est affinis. Bieberst. l. c.

Hab. in Tauria, sat frequens. Sine dubio affinis R. collinae; cum autem familia R. collinae penitus alia sit, quam illa R. rubiginosae, affinitas initio hujusce observationis memorata, scil. cum Rosis nitidula, Jundzilli, Klukii, iberica, pulverulenta et floribunda, ut contradictoria respui debet.

ROSA *saxatilis laevis. Bess.*

Distinguitur receptaculo (urceolo) laevi foliolis argutius serratis, subtus glaucescentibus. Bess. in Enum. pl. Volhyn. et Podol. p. 65.

Hujus unicum solum specimen possideo, cui truncus et ramuli aculeati, aculeis compressis falcatis, basi oblonga, ramulorum ut plurimum infrastipularibus alternis, subulatis, basi elliptica; stipulae lanceolatae, superne glanduloso-serratae; petioli pubescentes aculeati uti ramuli: foliola 5na, rarius 7na, elliptica aut ovato-elliptica, acuminata, basi utplurimum attenuata, ultra pollicem longa, inaequaliter serrata, serraturis mucronatis s. cuspidatis, supra laevia, subtus glaucescentia, venis villosis; ramuli 1 — 2 flori, bracteis late lanceolatis cuspidatis, supra laevia, subtus glaucescentia, venis villosis; ramuli 1 — 2 flori, bracteae late lanceolatae cuspidatae, superne glanduloso-serrulatae, pedunculis longiores; pedunculi vix pollicares subnudi: receptaculum ovato-oblongum, basi, magis vero superne attenuatum glabrum; calycis segmenta pinnatifida, pinnulis baseos incisis elongatis, apice dilatato, dorso glanduloso-hispida, margine et interne tomentosa, corollam superantia, quae rosea sat parva, petalis obcordatis; styli hirsuti; stigmata conglobata in capitulum ovatum. Ex Obodówka. Andrzeowski. Bess. l. c. p. 65 — 66.

ROSA *làxa Thunb.*

R. caule aculeato, aculeis stipularibus, petiolis, pedunculis, germinibusque (urceolis) oblongis, nudis inermibus. Thunb.

Rosa laxa Thunb. in Hoffm. phytogr. Blätt. I. p. 39.

Radix multum repit. Caules 5-pedales, versus summitatem praecipue laxi, flexuosi, ramis laxis, pendentibus. Aculei recurvi, plerumque bini sub petiolis, in ramis solitarii. Petioli inermes, villosiusculi: stipulis serrulato-glandulosis. Foliola 9 — 11, ovata, acuta, nuda, serrata, basi ad $\frac{1}{3}$ integra, nervis villosis. Pedunculi inermes, sub 4 flori; sub quovis stipula (bractea) ovata, serrulata, apice trifida, lacinula media lineari longiore. Pedicelli bibracteati, bracteis ovato-lanceolatis, serrulatis, glabris. Germina (urceoli) oblonga, nuda. Laciniae calycis nudae, integrae, tribus in foliolum lanceolatum apice expansis, vix villosis, longitudine petalorum. Petala alba, emarginata, parum odora, odore cimicino, qualem offert R. lutea. (R. eglanteria nob.) Fructus ruber, oblongus, versus basin incrassatus, nec supra infraque decrescens, ut in R. canina. Thunberg l. c.

Hab. in Sibiria. Affinis R. collinae, leucanthae, dumetorum, albae et similibus. (an potius R. majali?) ♉.

ROSA *caësia Smith.*

R. receptaculis (urceolis) ellipticis, pinnis calycinis raris, aculeis uncinatis subaequalibus, foliolis hirsutis, eglandulosis, duplicato-serratis. Smith.

Rosa caesia Smith Engl. Bot. t. 2367. Woods in Trans. of the Linn. Soc. XII. no. 17. et in Spr. Schr. L. Jahrb. d. B. I. 127.

Frutex densus 5 pedalis. Aculei subaequales, plerumque binato-stipulares. Petioli tomentosi, glandulosi, plerumque inermes. Stipulae glanduloso-serratae, tomentosae; folia 1 — 3 juga, foliola caesia, elliptica, venosa, subtus, saepe etiam supra hirsuta, serraturis glanduloso-serratis. Flores rubescentes, subsolitarii; pedunculi bracteis ellipticis, acuminatis breviores. Urceolus calycis ellipticus, primo glaucus, dein fuscus, glaber; laciniae eglandulosae, pinnatae, pinnis modo integerrimis, modo glanduloso-dentatis. Fructus maturus desideratur. Affinis R. collinae, Borreri, neque rubrifoliae, uti Woods opinatur. Sed fortasse R. laxa, caesia et Borreri in seriem R. cinnamomeae transferendae?

Hab. in Brittania.

ROSA *Borreri. Woods.*

R. receptaculis (urceolis) ellipticis, pinnis calycinis confertis, aculeis uncinatis subaequalibus, foliolis hirsutis, eglandulosis, duplicato-serratis. Woods in Transact. of the Linn. Soc. Vol. XII. no. 16. et in Sprengel, Schrader, Link Jahrb. d. Gew. I. B. fasc. 2. p. 125.

Rosa rubiginosa var. inodora. Hoocker Fl. Lond. new. ser. T. II. Lindl. Ros. p. 88.

Frutex 6 — 10 pedalis, rami aculeati, aculeis aequalibus uncinatis, plerumque stipularibus; petioli tomentosi, glandulosi, aculeis fortibus uncinatis muniti. Folia 3juga; foliola intense viridia, lucida, ovato-vel rhombeo-elliptica, plana, simpliciter, vel duplicato-serrata, terminali maximo. Cymae bracteas vix superantes. Urceoli obscure fusci, glabri; laciniae bipinnatifidae, glanduloso-serratae. Flores rubescentes; Styli inclusi, stigmata planiuscula. Fructus ellipticus, varius, subglobosus, intense ruber. Affinis R. caninae. Cell. Pr. Link huc refert R. agrestem Swartzii, Sveciae incolam. A Seringio (v. Spr. Neue Entd. I. 51.) pro R. dumetorum declaratur.

Hab. In sepibus et fruticetis, non infrequens prope Edinum (Edinburgh) capitalem Scotiae. A. R. rubiginosa non minus differt quam ipsa R. canina, scil. aculeis, foliolis, stipulis pedunculis, bracteis, fructibus etc. Agardhii R. inodora forte eadem est. (v. Ag. Novit. p. 9.)

ROSA *canina Linn.*

R. urceolis, fructibusque ovatis, pedunculisque glabris, stylis distinctis, aculeis caulinis sparsis uncinatis, petiolis aculeatis glandulosisque, foliolis ovatis concaviusculis, diversimode-serratis, glabris T.

Rosa canina Willd. Sp. pl. II. 1077. Ait. h. k. ed. 2. III. 265. Rau Enum. p. 71. Woods. in Trans. Linn. Soc. XII. no. 23. et Jahrb. d. Gew. I. 141. Curt. fl. Lond. V. 34. Engl. Bot. 992. Lawr. R. t. 81. M. Bieberst. fl. t. c. I. 399. et III. 351. Lindl. Ros. no. 55. et plurimi alii.

Frutex 6pedalis, ramosissimus, aculeis validis, recurvis in juventute rubris; folia 3juga, foliolis ovatis, acutis, simpliciter vel duplicato-serratis, superne nitidis, subtus nervo medio aculeolatis inodoris; Stipulae apice dentato-glandulosae. Flores terminales solitarii bini, usque seni. Calycis laciniae appendiculatae, 2 simplices, 2 pinnatifidae, 5ta uno latere pinnatifida. Corollae roseae, rarissime albae. Styli inclusi, stigmata arcte conniventia. Fructus ovalis, nitidus, coccineus. Variat magitudine, serraturis foliolorum et armatura, floribus aggregatis, umbellatis etc. Verosimiliter mater diversarum specierum recentiorum, e. gr. R. dumetorum, collinae, surculosae, brevistylae, aciphyllae, aliarumque. Cum tamen hae constantius persistant, et a plurimis pro speciebus agnoscantur, illas hoc loco, qua tales designare et notis suis characteristicis discernere oportet.

Hab. in omni Europa, et in Asia boreali.

Cell. Lindley cum R. canina in unam speciem contorquet Rosas dumalem, Andegavensem, surculosam, sarmentaceam, nudam, affinem, aciphyllam, collinam, platyphyllam, psilophyllam solstitialem, sepium, dumetorum, corymbiferam, leucantham, bractescentem, caesiam et plures alias. Nobis videbatur officium, harum distinctiones ab aliis exaratas judicio aliorum subjicere cum tantum differant, quantum plurimae aliae ab ipso Lindleyo expositae species. T.

ROSA *canina grandiflora. Thory.*

Distinguitur foliolis majoribus, subtus ad nervos principales centematosis, sepalis adauctis et floribus duplo majoribus pruinosis, nitidissimis.

Observata Parisiis a Dno. Le-Meunier de la Flèche, et depicta in Red. Ros. T. III. ad pag. 76. nec non in Andr. Ros. fasc. 37. Aculei copiosiores quam in vulgari, sub stipulis saepius verticillatim aggregati. Fructus subglobosus, ruber. Varietas speciosa, cultoribus commendanda. Videtur initium novae speciei. T.

ROSA *canina semiduplex.*

Distinguitur, aculeis caulinis validis, sparsis, intermixtis multoties minoribus, uncinatis, rubris, petiolis aculeatissimis; foliolis magnis, glaberrimis inaequaliter serratis, floribus subcorymbosis, pedunculis, urceolis, segmentisque semipinnatifidis glabris, corollis majusculis, semiplenis, pallide, roseis, c oncaviusculis. T.

Icon apud Andr. in Ros. fasc. 30. Etiam cum R. calycina et uncinella in multis convenit; sed aculei non rari, pedunculi longiores et urceolus non oblongus, sed potius globoso-ovatus.

18. S. II. 3.

ROSA ***canina cerea. Woods.***

Distinguitur caule 8 — 15 pedali, foliolis junioribus pruinosis, caesio-caerulescentibus, reliquis latioribus, acumine subbifidis; sarmentis copiosioribus, cymis saepe ultra 8-floris.

Ut perelegantem commendat cell. Woods. In Anglia multo frequentior quam R. canina vulgaris.

ROSA *canina myrtilloides.*

Distinguitur caule humili, procumbente, diffuso, stipulis glanduloso-ciliatis, foliolis exiguis, vix semipollicaribus, lanceolatis et elliptico-obtusis, utrinque glaberrimis, subtus glaucescentibus, aliis simpliciter, aliis duplicato-serratis, serraturis subglandulosis; pedunculis brevissimis subpubescentibus apice incrassatis urceolisque glabris, ovatis, fusco-purpurascentibus. T.

Hab. Labaci (in Carniolia). Vidi siccam in Musaeo caes. reg. vind. a. b. Wulfenio lectam et conservatam sub nomine R. glabrae myrtilloidis; adjecto dubio, numne sit R. canina juvenis? T.

ROSA *corymbifera. Gmel.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi, pedunculisque superne glabris; foliolis ovalibus, basi apiceque acutis, utrinque villosulis, concoloribus, simpliciter serratis: serraturis ciliatis; petiolis tomentosis subglandulosis cauleque aculeatis Rau.

Rosa corymbifera. Gmel. fl. Bad. II. 424. excl. Synon.

Rosa sepium Borkh. Forstb. p. 1527. no. 483. Bechstein Forstb. p. 242. et 941. Rau Enumer. p. 90. Diar. bot. Flora dictum ann. 2. II. 566.

Frutex, quoad caulis altitudinem, staturam, aculeorumque situm, directionem et proportionem R. caninae similis. Petioli tomentosi, rarissimis glandulis adspersi, subinermes. Stipulae apice glanduloso-denticulatae, subtus villosae, ciliatae. Folia 2 — 3 juga, foliolis ovalibus, ovatisve, utrinque, praesertim subtus villosis, serraturis cartilagineo-mucronatis, ciliatis. Flores 3 et plures cymosi, bracteis totidem suffulti, excepto centrali. Bracteae lanceolatae subtus villosae, margine ciliatae et glandulosae. Cal. laciniae longe acuminatae, apice lanceolato-dilatatae, extus villosae, appendiculatae; petala calycem superantia, pallide incarnata, unguibus albis. Fructus maturi oviformes, glabri, fructibus R. caninae simillimi.

Hab. in sepibus Germaniae, Helvetiae, Galliae et Italiae. Affinis R. dumetorum, caninae. An hujus loci R. canina nitens Desv.? v. Red. Ros. T. II. ad pag. 51. sine descriptione.

ROSA *aciphylla.* *Rau.*

R. urceolo calycis globoso, pedunculisque glabris, foliis pinnatis, trijugis, foliolis ovato-lanceolatis, cuspidatis, glaberrimis, concoloribus, argute-serratis, petiolis supra pubescentibus, alatis; spinis in caule rarioribus, uncinatis. T.

Rosa aciphylla. Rau Enumer. ros. p. 69. c. ic. Red. Ros. II. 31.

Frutex 2 — $2\frac{1}{2}$ pedalis, ramis strictis, fuscis, ramulis confertissimis, brevibus. Petioli rarius aculeati. Stipulae alares, margine glandulis stipitatis vestitae. Foliola, et flores minimi, minores quam in Fragaria hortensi albo-rosei. Fructus desideratur.

Affinis R. caninae, cujus varietatem suspicantur Rau et Thory. Ille (p. 75.) sub R. canina β. ramosissima dicit: „Per hanc varietatem Rosae aciphyllae, excepto calycis tubo oviformi, simillimam, Rosa canina transire videtur in Rosam aciphyllam.“

H. prope Herbipolim s. Wirceburgum (in Bavaria) in colle saxoso, Hexenbruch dicto. Detexit (1816.) D. Georg. Heller, Med studiosus.

Ipse in suburbiis Viennae legi Rosam, huic persimilem, floribus fere adhuc minoribus saturate roseis, sed in eodem specimine simul etiam majores aderant, et pallidiores. T.

ROSA *nuda. Woods.*

R. receptaculis (urceolis) globosis, calycibus compositis, aculeis rectiusculis, foliolis simpliciter serratis. Woods.

Rosa nuda. Woods in Linn. Trans. XII. no. 13. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 118.

Frutex 5 — 7 pedalis, ramis diffusis, glabris, aculeatis, aculeis subaequalibus, rectiusculis, sparsis vel binato stipularibus. Petioli nunc glabri nunc glandulosi absque aculeis et tomento. Pili tamen ad axillas foliorum conspicui. Stipulae lineares, apice serratae. Flores etiam solitarii propiores ceteris multo majores, bractescentes. Folia 2 — 3 juga, foliolis ellipticis, simpliciter, argute et irregulariter serratis, utrinque glabris. Pedunculi pauci, breves glabri. Urceolus glaber. Calycis laciniae pinnatifidae. Fores rubescentes. Styli vix inclusi, stigmatibus in conum collectis. Fructus immaturus globosus, maturus desideratur.

Woods unicum specimen invenit ad viam de Ambleside ad Clapperogat. Proxime affinem dicit esse R. tomentosae, et habitu quodammodo accedere ad R. rubrifoliam. Dicit esse affinitatem intime familiarem respectu setarum in caule deficientium, stipularum in bracteas transeuntium et aculeorum non uncinatorum inter Rosas, villosam, heterophyllam, scabriusculam, pulchellam, tomentosam atque nudam. Mihi videtur proxima R. dumali. T.

ROSA *dumàlis. Bechst.*

R. urceolis ovatis, pedunculis petiolisque glabris, floribus subsolitariis, calycinis segmentis subsimplicibus, extus glabris, intus albo-tomentosis, foliolis ovatis, acutis, duplicato-serratis, aculeis raris, subgeminatis aduncis. T.

Rosa dumalis. Bechstein Forstbot. p. 241. et 939. Diar. bot. Flora dict. ann. 2. II. 565.

Rosa stipularis. Merat. Fl. Par. 192.

Rosa canina glandulosa. Rau Enum. p. 75.

Frutex magnitudine R. caninae. Caules annosiores griseo-ferruginei inermes; juniores glaberrimi, glandulis sparsis, maximis muniti, et aculeis solitariis vel geminatis, oppositis, basi dilatatis, uncinatis armati. Foliola ovata, breviter acuminata, terminali maximo subrotundo, simpliciter et duplicato-serrata, serraturis apice glandulosis, utrinque glabra, supra saturate viridia, subtus caesio-pruinosa. Petioli subinermes. Stipulae glabrae cuspidatae, margine glanduloso-denticulatae. Flores subsolitarii, bini, terni, terminales, breviter pedunculati, saturate rosei, odoratissimi. Urceolus et calycis segmenta extus glabra; posteriora intus albo-tomentosa, fòrma illis R. caninae aequalis. Petala levissime emarginata. Fructus ovati, maximi, glabri, maturitate fusco-purpurei, calyce persistente expanso coronati.

Hab. in dumetis, et fruticetis Thuringiae et Franconiae. Affinis R. caninae. Cell. Thory apud Red. in Ros. T. II. p. 52. hanc citat ad R. caninam ϑ nitentem, in opere non descriptam, sed solummodo depictam; haec autem icon nostrae non satis convenit, sed potius ad corymbiferam spectare videtur. Ast descriptioni omni deficiente decidere non audeo. T.

ROSA *dumetòrum. Thuill.*

R. urceolo obovato, pedunculisque superne glabris; foliolis lanceolato-ellipticis, subrotundis, supra pubescentibus, subtus villosulis, duplicato-serratis: serraturis glandulosis; petiolis villosis, glandulosis, cauleque aculeatis T.

Rosa dumetorum. Thuill. Fl. par. ed. 2. p. 250. Ait. h. k. epit. of the 2. ed. add. 373. Smith Engl. bot. 2579. Rau En. Ros. p. 85.

Rosa canina δ. Poir. Enc. VI. 288.

Rosa arvensis. Wibel Werthem. 263.

Rosa collina. Wallr. Ann. bot. p. 67.

Frutex 3 — 6 pedalis. Aculei sparsi, stipulares, adunci, subgemelli. Petioli villosi, glanduloso-hispidi, aculeati. Foliola 5 — 6 — 7 parva, alia ovata, acuta, alia elliptica, obtusa, basi simpliciter, antíce duplicato-serrata, supra nitida, subtus villosa, concoloria, venosa. Flores parvi, terminales, gemini vel subcorymbosi, bracteis suffulti, amoene rosei. Laciniae cal. inaequales, subappendiculatae. Fructus maturus illi R. caninae aequalis. Affinis R. caninae, collinae et platyphyllae. A quibusdam huc etiam refertur R. Borreri.

Hab. in Germania, Gallia et Anglia. Seringe hanc et Rs. collinam et corymbiferam pro varietatibus R. caninae declarat, ejus autem Censor. ill. C. Sprengel in ej. Neue Entd. I. p. 52. putat, R. dumetorum esse speciem distinctam, sed Rs. collinam Jacq. sepium Rau, et dumetorum Woods, esse meras R. caninae varietates.

ROSA *affinis. Rau.*

R. urceolo oblongo-oviformi, pedunculisque glabris; foliolis ovalibus, basi integerrima, apiceque acutis, duplicato-serratis, supra pubescentibus, subtus glaucescentibus, glabris; petiolis undique villosis, subinermibus, caule aculeato. Rau Enumer. Ros. p. 79.

Rosa canina. Wibel fl. Werthem. p. 264.

Foliola apice, basique acuta, hac glanduloso-ciliata; petioli undique, praesertim ad foliolorum ortum villosi, nonnulli aculeolis uncinatis armati. Stipulae lanceolatae, glanduloso-ciliatae, basi subpubescentes. Laciniarum calycinarum appendices subserratae, uti in R. canina β ramosissima. Petala incarnato-alba. Caetera ut in R. canina vulgari.

Rau invenit prope Retzbach et circa Wirceburgum. ♉.

ROSA *psilophylla. Rau.*

R. tubo calycis (urceolo) oviformi glabro, pedunculis glanduloso-hispidis; foliolis ovalibus subtus glaberrimis, duplicato-argute-serratis; petiolis villosis glandulosis, cauleque aculeatis; floribus cymosis: cyma trifida. Rau.

Rosa psilophylla. Rau Enum. Ros. p. 101.

Frutex R. canina major. Aculei sparsi, validi, recurvi. Petioli villosi et simul glandulis stipitatis muniti, subtus plerumque aculeati. Stipulae obtusae integerrimae, glanduloso-ciliatae. Folia 1 — 3juga, foliolis ovalibus, basi rotundatis, supra subpubescentibus, partim acutis, partim obtusis, inodoris, serraturis stipitato-glandulosis. Cyma dichotomo-trifida, 7 flora. Bracteae ovato-lanceolatae, utrinque glabrae, glanduloso-ciliatae. Urceolus ovatus, glaber, coloratus. Laciniae cal. ovato-lanceolatae, longe acuminatae, apice paululum dilatatae, glandulosae, appendiculatae, appendicibus glanduloso-denticulatis. Fructus desideratur. Detexit Dr. Nees ab Esenbeck.

Affinis R. caninae, a qua tamen differt 1) foliolis ovalibus basi rotundatis; 2) petiolis villosis; 3) cyma 3 fida, et 4) pedunculis glanduloso-hispidis. Nomen a ψιλος glaber, et φυλλον folium.

ROSA *platyphylla. Rau.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi pedunculisque glabris; foliolis orbiculato-ovalibus, acutis, supra glabris, subtus glaucescentibus, ad nervum venasque villosulis, subsimpliciter serratis; serraturis ciliatis. Rau.

Rosa platyphylla. Rau Enum. Ros. p. 82.

Rosa arvensis. Roth fl. Germ. II. p. 554. excl. Synon.

Frutex non raro 10 pedalis, robustus, aculeatus. Aculei sparsi, stipularesque, validi, adunci. Petioli undique tomentosi, eglandulosi, subtus aculeis copiosis, validis, aduncis armati. Stipulae denticulatae, ciliatae, supra laete virides, subtus glaucescentes. Foliola orbiculato-ovalia, acuta 1½ poll. longa, basi simpliciter, apice duplicato-serrata, serraturis per lentem cartilagineis, ciliatis; Pedunculi glabri, terminales, 6 et plures, corymbosi vel cymosi, bracteati; centralis crassior et quadrangulus. Laciniae cal. intus et limbo tomentosae, eglandulosae, apicibus dilatatis, foliaceis, inciso-serratae, appendiculatae, corollam relative parvam, incarnatam superantes. Fructus ut in Rosa canina. Rau.

Hab. in Germania. Affinis R. caninae, a qua tamen differt foliolis 3plo majoribus, magis rotundatis, serraturis ciliatis, nec glandulosis; venis foliolorum villosulis et petiolis tomentosis. Nomen a graeco πλατυς amplus, et φυλλον folium.

ROSA *geminàta.* *Rau.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi, basi pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis orbiculato-ovalibus, subtus pubescentibus, concoloribus, subsimpliciter serratis; petiolis pubescentibus glanduloso-hispidis; ramulis floriferis superne petiolisque dense aculeatis. Rau.

Rosa geminata. Rau Enum. Ros. p. 98. et 169. Red. Ros. II. p. 83. c. ic.

Rosa alba β. humilis. Red. Ros. I. p. 97.

Frutex modo erectiusculus, modo repens flagellis 5pedalibus, ex quibus ramuli copiosi more R. arvensis sursum crescunt, armati aculeis sat validis, copiosis rectis et uncinatis, majoribus minoribusve. Petioli pubescentes glanduloso-hispidi, subtus aculeolati; stipulae parvae, subtus pubescentes, glandulis ciliatae. Folia 2—3 juga, foliolis (e majoribus) superioribus ovatis, ovalibus, et subrotundis, acuminatis, simpliciter rarius duplicato-serratis, subtus pubescentibus, quandoque etiam glandulosis, inferioribus crenato-serratis. Pedunculi plerumque gemini, saepius solitarii, (sub cultura terni) glanduloso-hispidi. Urceolus obovatus basi glandulosus, purpurascens (in icone viridis!); laciniae lanceolatae, appendicibus glandulosis. Styli basi villosi, distincti, fere longitudine staminum. Flores speciosi, magni, albi apice rubelli. Fructus ignotus. Detexit cell. Nees ab Esenbeck. Var. β ramis flagelliformibus, foliolis basi cordatis, subtus glaucescentibus, solo nervo principali glandulosis; corollis penitus albis, urceolis vel penitus eglandulosis vel undique glandulosis.

Hab. in Bavaria. Etsiamsi similis habitu R. arvensi et albae, tamen potius affinis R. montanae. Noli confundere hanc cum R. gemella Willd. quae est planta R. Carolinae et parviflorae affinis, sed nondum sufficienter descripta, Americae borealis indigena.

ROSA *montàna. Vill.*

R. germinibus (urceolis) oblongis, pedunculisque hispidis, petiolis aculeatis, caule aculeis stipularibus uncinatis, foliolis glabris obovatis, glanduloso-serratis. Willd.

Rosa montana. Vill. fl. delph. III. 547. Willd. Sp. pl. II. 1076. De Cand. Fl. franç. VI. 532.

Rosa Reynieri. Hall. fil. in Roem. Arch. I. fasc. 2. p. 7.

Rosa malmundariensis. Red. Ros. II. 33. c. ic.

Frutex 4 — 5 pedalis, aculeis raris, rectis, mediocribus; petioli aculeati et glanduloso-hispidi; foliola elliptica, ovata, et subrotunda, acuminata, subtus glaucescentia, duplicato-serrata, supra glabra, subtus subglandulosa, margine glandulosa, inodora. Flores 1 — 3 corymbosi; urceolus pyriformis, varius, parumper glanduloso-hispidus, praesertim basi; laciniae cal. inaequales, integrae et pinnatifidae, subtus glandulosae.

Hab. in montosis Galliae et Helvetiae. R. Malmundariensis (v. Red. Ros. II. 33. c. ic.) sine dubio mera hujus varietas est, distincta foliolis fere rotundis et fructibus majoribus; vulgo Rosier de Malmedy. R. biserrata magis differre videtur. Cum R. rubiginosa ideo coordinari nequit, quia glandulae ejusdem inodorae sunt. T.

R. montana Stev. (in Bess. En. pl. Volh. et Podol. p. 65. videtur esse diversa species. Vid. Praefat. Ti. praesentis.

ROSA *grandiflòra. Wallr.*

R. tubo calycis (urceolo) ovato pedunculisque glabris, petiolis inermibus, villosis, glandulosis, foliolis ovato-oblongis, pubescentibus, duplicato-serratis. Wallr.

Rosa grandiflora. Wallroth Ann. bot. p. 66.
? **Rosa glutinosa.** Schultz Fl. Starg.

Frutex 4—6 pedalis et altior, erectus, ramosus. Aculei caulini recurvi; foliola septena, ovato-oblonga, utrinque nuda, saturate viridia, concoloria, basi apiceque attenuata, nervis tantum paginae inferioris pubescentibus, glandulis rarissimis inspersa, duplicato-serrata, serraturis omnibus glandulosis. Petioli villosi, teretes, aculeati. Stipulae nudae, glandulosae. Pedunculi terminales, solitarii, bini, terni, uniflori, striati, ut fructus glaberrimi. Laciniae calycinae reflexae, bipinnatae, glanduliferae. Fructus ovati, glabri, magni, demum atro-purpurei. Corolla speciosa, roseo-purpurea. Proxima est R. rubiginosae, tamen diversa 1mo aculeis rarioribus, minoribus, totoque habitu; 2do foliolis subtus praeter nervum non glanduliferis, duplicato-serratis, iisdemque glandulosis, odore suavi deficiente; 3tio petiolis villosis subinermibus; 4to pedunculis elongatis, tubisque (urceolis) constanter glabris; 5to floribus multo majoribus. Wallroth.

Hab. in Saxonia, ad marginem nemorum. Nos proximam putamus R. sepium. T.

ROSA *sèpium. Thuill.*

R. germinibus (urceolis) oblongo-ovatis, pedunculisque glabris; foliolis sublanceolatis, cuspidatis, supra glabris, subtus margineque glandulosis; petiolis aculeolatis, undique glandulis minimis praeditis; ramulis ramosissimis, aculeatis. Thory.

Rosa sepium. Thuill. Fl. Par. ed. 2. p. 252. De Cand. Fl. Fr. VI. 538. Nouv. Duham. VII. 47. t. 14. f. 2.

Rosa sepium rosea. Desv. Journ. bot. Sept. 1813. p. 116. Red. Ros. II. p. 61. c. ic.

Rosa canina. var. β Decand. Fl. fr. no. 3716. Poiret Encycl. VI. 288.

Frutex altus, ramosissimus. Aculei mediocriter validi, subrecurvi, albicantes, sparsi. Folia 2 — 3juga, foliolis parvis remotiusculis, lanceolatis, supra glabris, subtus glandulosis, simpliciter serratis, serraturis glandulosis. Stipulae minimae. Flores in ramulis terminales, subsolitarii, magnitudine intermedii. Segmenta calycis longe producta, basi subpinnatifida, saepius integerrima. Petala concaviuscula, obcordata, dilute rosea, sed soli exposita brevi depallida. Fructus elliptici.

Hab. in Gallia. R. sepium Borkhaus. est nobis R. corymbifera. Gmel.

ROSA ***biserràta. Merat.***

R. germinibus (urceolis) globosis pedunculisque glabris; foliolis glabris, glanduloso-serratis; laciniis calycinis subintegris; caule aculeis sparsis. Thory.

Rosa biserrata. Thy. Prodr. groupe 18. p. 101.

Rosa biserrata. Merat Fl. de Par. p. 190. Red. Ros. II. p. 34. III. p. 27.

Rosa sepium η Desv. Journ. bot. 1813. p. 117.

Affinis R. trachyphyllae Rau. Dr. Merat detexit hanc Rosam in monte Valérien prope Parisios. Caulis 3—4 pedalis, armatus aculeis sparsis recurvis basi latissimis; foliola majora apicibus dentium glandulosa, petioli glabri, vix aculeati, stipulae valde glandulosae; pedunculi fructusque glabri, hi subglobosi (in icone ovales); laciniae calycis subsimplices, valde glandulosae; fructus magni; flores solitarii, pallide-rosei. Floret Junio. Merat l. c. ♉.

ROSA *trachyphylla.* *Rau.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi, basi, pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovatis, utrinque glaberrimis, rigidis, nitidis, subtus ad venas minute glandulosis, subtriplicato-serratis; caule petiolisque pubescentibus, aculeatis. Rau.

Rosa trachyphylla. Rau En. ros. p. 124. Lindl. Ros. no. 99.

Frutex media altitudine. Ramorum aculei substipulares, nonnunquam gemini, recurvi. Petioli glandulis stipitatis obsiti, supra et infra intermixta pube plus minusve densa, subtus aculeati. Stipulae rigidae, integerrimae, glabrae, subtus et margine glandulosae. Folia 2—3juga, summa ternata. Foliola rigida forma diversissima, plurima ovata, basi rotundata, apice acuta, imo attenuata; nonnulla ovalia, obtusa vel ovata; utrinque glaberrima, supra viridia, nitida, laevia, subtus concolora, aut glaucescentia, opaca, ad nervos primarios venasque saepissime albidas glandulosa, ob venas valde eminentes glandulasque scabra, subtriplicato-serrata: serraturis glandulosis. Foliola adultiora plerumque nuda. Magnitudine a 3 lineis ad 1½ pollicem variant. Pedunculi terminales 1 — 3 umbellati, glanduloso-hispidi, duo laterales bracteis duabus propriis, lanceolato-attenuatis, margine glanduloso-ciliatis praediti. Laciniae calycinae ovato-lanceolatae, apice paullulum dilatatae, glanduloso-hispidae, corolla breviores, appendiculatae. Petala obcordata, pallide rosea, ungue flavida, speciosa. Fructus subglobosus, hispidulus, magnitudine Cerasi.

Hab. in Bavaria. Cell. Lindley putat, esse varietatem R. rubiginosae. Rau affinem R. sempervirenti (R. Raui T.) dicit. Nomen derivatum a foliolis scabris.

ROSA *Raùi.* *T.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi, pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis ovalibus, rigidis, utrinque glaberrimis, supra nitidis, simpliciter serratis; caule petiolisque glandulosis, aculeatis. Rau.

Rosa sempervirens. Rau. Enum. p. 120. no. 17. exclus. Synonimis. Bast. Ess. 188. Lindl. Ros. no. 98.

Frutex mediocris, ramis copiosis, saepe prostratis, viridibus, aculeis aduncis validis. Petioli subpubescentes, parum glandulosi, aculeati. Stipulae glaberrimae, glanduloso-denticulatae. Foliola 5na, 7nave; jugum infimum duplo, imo triplo minus jugo proximo, nonnunquam stipulis connatum, supra laete flavescenti-viridia, nitida, subtus pallidiora aut glaucescentia, utrinque glaberrima, rigida, crassiuscula, plerumque perennantia. Pedunculi breves 1 — 3 in umbellam fere congesti, glanduloso-hispidi, bracteati. Laciniae calycis lanceolatae, mucronatae, margine albo-villosae, glanduloso-hispidae, appendiculatae. Petala rosea, obcordata, calycem parum superantia, odore suavi. Fructus subglobosus, turgidus coloratus, (ruber?)

Hab. in Bavaria; detecta a Rauo. a R. canina praecipue differt: 1.) pedunculis, cal. laciniis et urceolo glanduloso-hispidis; 2.) foliolis rigidis, crassioribus, perennantibus. Ceterum et R. balticae affinis, et praecipue R. andegavensi; ab omnibus tamen, ut videtur, sufficienter diversa. Cell. Lindleus putat, esse varietatem R. rubiginosae. Sed haec opinio mihi penitus paradoxa videtur. T.

ROSA *andegavènsis. Bast.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque hispidis, calycinis laciniis pinnatifidis, foliolis ovatis glaberrimis, stylis brevibus subpubescentibus. Loiseleur Not. p. 81.

Rosa andegavensis. Bastard Fl. de la Maine-et-Loire p. 189. Red. Ros. II. p. 9. Dec. Fl. fr. VI. 539.

Rosa canina grandidentata. Desv. Journ. bot. Septemb. 1813. p. 115.

Frutex 8 — 10 pedalis, armatus aculeis rarioribus et minoribus, quam R. canina. Foliola glaucescentia, serraturis aequalibus et paullo remotioribus quam in Rosis affinibus. Pedunculi, calyces et fructus muniti glandulis rufis petiolatis. Flores pallide rosei, aggregati. Variat foliis plus minus glaucescentibus, majoribus minoribusve, pedunculis vix glandulosis, floribus intensius rubris.

Hab. per omnem Galliam, primo circa Andegavum (Anjou) a Lemano detecta. An sufficienter distincta a R. Raui? Cell. Thory. apud Redouteum in Ros. T. II. p. 52. habet varietates sequentes:

β. glaucescens: foliolis subglaucescentibus. R. canina intermedia Desv. observ. p. 157. no. 6.

γ. hispida: foliolis subovato-lanceolatis, glaberrimis. R. andegavensis β. De Cand. Fl. Fr. VI. p. 539. no. 3717. b. Ad hanc citatur Synonimon R. sempervirentis Bastardii, quod ego ad R. Raui allegavi. An ergo R. andegavensis γ. hispida Synonimon R. Raui? T.

ROSA *bàltica. Roth.*

R. calycis tubo (urceolo) globoso, basi, cum pedunculis, glanduloso-setoso, colorato; laciniis subsimplicibus, extus setoso-glandulosis, ferrugineis, muricatis, margine niveo-tomentosis, bracteis coloratis, petiolis subinermibus, pilosis, foliolis oblongo-ovalibus, obtusis, simpliciter serratis. Roth.

Rosa baltica. Roth. Nov. pl. spec. p. 234.

A R. canina differt: 1.) aculeis rectis. 2.) caule atropurpureo. 3.) petiolis subinermibus, costa venisque foliolorum pilosis. 4.) foliolis oblongo-ovalibus, obtusis, simpliciter serratis. 5.) bracteis coloratis. 6.) pedunculis urceolisque globosis coloratis, setis glanduliferis ferrugineis munitis. 7.) Cal. laciniis extus setis glanduliferis copiosis muricatis, margine et intus niveo-tomentosis, subsimplicibus.

A R. Rauiana T. (R. sempervirente Raui, nec Linnei) ad quam ad mentem Rothii proxime accedere videtur, recedit: 1.) caule adultiore atropurpureo. 2.) aculeis rectis. 3.) petiolis cum foliolorum venis hirtis. 4.) foliolis utrinque concoloribus. 5.) urceolo globoso, basi tantum setis glanduliferis adsperso, cum pedunculis bracteisque colorato. 6.) corolla calyce duplo majore, saturatiore.

In maritimis prope Rostock detexit Prof. Treviranus.

Affinis R. Raui, caninae et sim. ♉. Cetera ex comparatione dijudicari poterunt, veluti inflorescentia, fructus, magnitudo etc.

ROSA *microcàrpa. Thunb.*

R. caule petolisque aculeatis, calycibus integerrimis glandulosis, pedunculis inermibus, germinibus ovatis, nudis. Thunb.

Rosa microcarpa. Thunb. in Hoffm. phytogr. Blätt. I. p. 40. Dietr. Lexic. d. G. u. B. VIII. 239.

Radix haud repens. Caules 5-pedales, stricti, aculeati. Aculei recurvi, substipulares et sparsi. Petioli subtus dense aculeati, subvillosi, stipulis minutis, serrulatis glandulosis. Foliola septena, undique serrulata, supra rugosa, subtus villosula ovata. Pedunculi 3—4 flori, nudi, inermes. Bractea sub quovis pedicello, ovato-acuminata, serrulato-glandulosa, rarius trifida. Pedicelli nudi, glabri, bibracteati, bracteis latis acuminatis. Germen (urceolus) ovato-oblongum, nudum glabrum. Calycina foliola parce glandulis pedicellatis adspersa, integerrima, petalis breviora, tribus apice parum dilatatis. Petala rosea, fere biloba, grate odora. Fructus ruber, parvus, ovato-oblongus, collo angustato. Thunberg. l. c.

Cum R. micrantha Smithii in multis convenit; affinis potius R. caninae.

Hab. in Sibiria. Noli confundere cum R. microcarpa Besseri, quae est nostra R. Besseri.

ROSA *sarmentàcea. Woods.*

R. stylis distinctis, receptaculis (urceolis) ovatis, aculeis uncinatis, foliolis duplicato-serratis glabriusculis. Woods.

Rosa sarmentacea. Woods in Linn. Trans. XII. no. 18. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 129.

Rosa canina. Roth. germ. I. 218. II. 560.

Frutex 8 — 10 pedalis. Aculei adunci, nunc rari sparsi, nunc solitarii vel binato-stipulares. Petioli glabri, subglandulosi, aculeis falcatis, basi dilatatis muniti. Stipulae spathulatae, glabrae, serratae; superne in bracteas ovatas, acuminatas transeuntes, bracteis tandem adauctis, sed basi angustatis. Folia 2—3juga, foliolis ellipticis, supra nitidis, subtus ad nervos subaculeatis, serraturis inaequalibus, plerumque divaricatis, irregulariter serrulatis. Pedunculi 1 — 8 glabri, bracteis breviores. Urceolus ovali-oblongus, fuscus, glaber. Cal. laciniae glabrae triangulari-ellipticae, acuminatae, pinnis lanceolato-linearibus, inciso-serratis. Flores rubescentes, planiusculi. Styli inclusi, stigmatibus planiusculis. Fructus elliptici, coccinei, nitidi. Woods.

Hab. in Germania et Anglia. Forte nimis affinis R. caninae, a qua fere solis foliolis duplicato serratis, fructibusque ellipticis differt. Interim ipse Woods 5. R. sarmentaceae varietates adfert.

ROSA *surculòsa. Woods.*

R. stylis distinctis, aculeis caulinis petiolinisque uncinatis, foliolis planis, simpliciter serratis, glabris. Woods.

R. urceolis ovatis glabris, pedunculis subhispidis, petiolis supra pilosiusculis subtus fortiter aculeatis, aculeis caulinis validissimis uncinatis; stylis porrectis, villosis, stigmatibus in globulum congestis. T.

Rosa surculosa. Woods in Linn. Trans. XII. no. 24. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 145.

Frutex 8 pedalis, laxus, habitu R. caninam, vel potius intermediam inter R. Borreri et R. arvensem referens. Rami nunc copiose aculeati, nunc fere inermes. Surculi pulcherrime pruinoso-caerulescentes, floridissimis cymis instructi. Stipulae spatulatae vel lineares, nunc serratae, nunc integerrimae, vel basi glanduloso-ciliatae, supremae, foliolis demum deficientibus, in bracteas ellipticas acuminatas permutatae. Folia 3juga, foliolis ellipticis, vel subrotundis, acuminatis, supra subpilosis, subtus glabris, purpurascentibus. Pedunculi 1 — 24, setis sparsis tenerrimis, pilisve muniti. Urceolus fuscus, glaber, disco convexo. Calycis laciniae profunde pinnatifidae, laciniis lanceolatis, vel lineari-lanceolatis, nervosis. Flores rubescentes. Styli subporrecti, villosi; Fructus late-ellipticus, ruber. Habetur varietas surculis minoribus, rubescentibus, minus floridis, disco depresso (an mera varietas?) habitu diversa, nondum sufficienter observata.

Hab. in Anglia. Detexit Borrer. Affinis R. arvensi, affini, psilophyllae, praecipue vero R. sarmentaceae.

ROSA *àlba. L.*

R. urceolis obovatis, calycisque laciniis tenuibus, pinnatifidis, laeviusculis, pedunculis glanduloso-hispidis, bracteatis; petiolis subspinosis; foliolis lato-ovatis, inaequaliter serratis, subciliatis, subtus tomentosis, floribus subaggregatis, caule ramoso, armato aculeis validis, uncinatis, sparsis. T.

Rosa alba. L. Sp. pl. I. 492. Willd. Sp. pl. II. 1080. Ait. h. k. ed. 2. III. 267. Vahl in Fl. dan. VII. t. 1215. Brot. fl. Lusit. II. 345. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 352. Lindl. Ros. no. 46. Icones porro existunt apud Blackwell, Besler, Knorr, Kerner, Lawrance, Roessig, Andrew, Redoutée, St. Michel, in Nouv. Duhamel, Bertuch, etc. et fere in omnibus Florae europeae enumerationibus species prostat.

Dignoscitur magnitudine latitudineque foliolorum, florum corymbo multifloro, pedunculis germine oblongo multo longioribus, corollis albis. Bieberst. l. c.

Varietates habentur plurimae, quae in E. Steudel Nomencl. botanico enumerantur, scil. flor. plenis, incarnatis, majoribus, minoribusve, calycibus auctis, foliaceis, plus minus hispidis.

Hab. a Lusitania usque ad Caucasum. ♉.

Frutex 4 — 9 pedalis, ramosissimus, cortice viridi. Ramorum aculei validi, sparsi, recurvi. Petioli villosi, subtus aculeolati. Stipulae antice glanduloso-denticulatae. Foliola magna subtus villosa, glaucescentia, inaequaliter serrata, serraturis cartilagineo-mucronatis, eglandulosis. Pedunculi terminales, setis glanduliferis obsiti. Urceoli parce basi hispiduli. Laciniae cal. magnae apice dilatatae, saepius pinnatifidae, glandulis stipitatis hispidae. Corollae albae, maximae, patentes. Fructus elliptico-oblongi, rubri, calyce persistente coronati.

Proxima est R. collinae, a qua floribus constanter albis, saepe duplicibus, pedunculis subsolitariis, et petiolis villosis, nec glanduloso-hispidis, dignoscitur. In icone Fl. Dan. citata foliola margine glandulosa, laciniae calycis corolla majores, et fructus maximus perfecte pyriformis, aurantiacus. T.

ROSA *alba plena.*

Distinguitur caule altiori 10—14 pedali, minus aculeato, foliolis subtus tantum pubescentibus, floribus maximis, multipetalis, expansis, niveis. T.

Minus frequens in hortis, et minus elegans, tamen ob magnitudinem, et singularem odorem vinoso-balsamicum aestimabilis.

Icon apud Redout. in Ros. T. I. ad pag. 117. Habetur etiam varietas semiplena floribus multo minoribus subconvolutis, quae apud Andreusium in Ros. fasc. 13. depicta est.

42. S. II. 6.

ROSA *alba regalis.*

Distinguitur caule humiliori, aculeis minoribus, fere rectis, foliolis magnis, floribus maximis, plenis, albo-incarnatis, expansis, urceolis subglobosis, calycis segmentis vix spathulatis appendiculatis. T.

In hortis sub nominibus R. alba regalis, R. virginalis, Grosse cuisse des Nymphes, Great Maiden's-blush etc. propagatur. Icon vid. apud Redout. T. I. ad pag. 97.

43. S. II. 6.

ROSA *alba cymbaefolia.*

Distinguitur aculeis raris, validis fere rectis, foliolis inaequaliter serratis 4 — 5 longioribus quam latis navicularibus, supra glabris, subtus plus minus tomentosis, petiolis aculeatis, floribus mediocribus albis plenis expansis, gemmis dilute roseis. T.

Vocatur etiam R. cannabina, et R. persicifolia, sed hoc posteriori nomine etiam insignitur quandoque R. longifolia. Cum ex seminibus Rosae praesentis R. alba vulgaris enata fuerit, et cum ipsa specimina saepe in typum normalem R. albae degenerent, sane pro mera varietate declarari debet, et si ceterum forma sit distinctissima.

Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 47. Mirabilis metamorphosis!

ROSA *trichocàrpa. Waitz.*

R. urceolis oblongis, segmentis appendiculatis, pedunculisque hispidis; petiolis glabris, glandulosis, aculeatis; foliolis odoratis, ovato-lanceolatis, simpliciter serratis, utrinque glabris, caule ramisque glaberrimis, aculeatis, aculeis uncinatis, aequalibus; stigmatibus sessilibus. Waitz.

Rosa trichocarpa. Waitz in litt.

Haec R. albae proxima species flores semiplenos albos, sub efflorescentiae stadio carneos, medio Junio profert, et pro varietate R. albae declarari deberet, nisi, praesertim in statu juniori, odorata, utrinque glabra foliola haberet, et omnia stigmata in calycis sinu cooperta laterent, cum ex adverso omnes R. albae varietates foliola inodora, subtus tomentosa, petiolos pilosos et stigmata eminentia praestent. Waitz.

ROSA *bibracteàta. Bast.*

R. stylis coadunatis, glabris; foliolis ovatis, glabris, simpliciter serratis; bracteis duabus oppositis; ramis suberectis; aculeis sparsis, subincurvis. Bast. in Litt.

Rosa bibracteata. Decand. Fl. fr. VI. 537. Poiret Encycl. Suppl. IV. 713.

Rosa arvensis γ. bibracteata. Red. Ros. I. p. 90.

Affinis R. arvensi, sed magnitudine et erectione differe dicitur. Rami ab ortu quidem decumbunt, sed deinde iterum adscendunt; aculei sparsi, basi modo latiores modo angustiores; petioli muniti aculeis paucis brevissimis; foliola glabra, acuminata; flores magni, albo-rosei, corymbosi, pedunculi glanduloso-hispidi, centralis basi munitus bracteis duabus, oppositis, oblongis, attenuatis.

Hab. in Gallia prope Angers, Mende etc. detecta a Bastard et Prost. ♉.

Urceolus sine dubio ovatus.

ROSA *brevistyla. De Cand.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, glabris; pedicellis hispidulis, aliquando glabris; laciniis calycinis appendiculatis; floribus cernuis; stylis in columnam glabram, brevem coalitis. Thory.

Rosa brevistyla. D. C. Fl. fr. VI. 537. Red. Ros. I. 91.

Rosa leucochroa. Desv. Journ. bot. II. 316. Loisel. Not. p. 80. Poiret Encycl. Suppl. IV. 710.

Rosa systyla. Bast. suppl. à la fl. de M. et L. p. 31. Woods in Linn. Trans. XII. no. 25. et Jahrb. d. Gew. I. 147. Lindl. Ros. no. 61.

Rosa collina. Smith Engl. bot. 1895.

Rosa stylosa. Lam. et Dec. fl. fr. VI. 586.

Rosa dibracteata. Lam. et Dec. fl. fr. VI. 537.

Frutex 6—8 pedalis; rami glabri, aculeis latis, uncinatis armati; folia 3juga, petioli aculeati, foliola ovato-lanceolata, serrato-dentata, subtus ad nervos pilosa; flores arcte corymbosi, majusculi, leviter suaveolentes, albi vel ex albo flavescentes; pedicelli hispidi, basi muniti bracteis duabus, ovato-oblongis, acuminatis. Petala profunde emarginata. Fructus ellipticus, ruber. Variat petalis pallide roseis.

Affinis R. collinae, leucanthae etc.

Hab. in Gallia, et Anglia. In T. III. Red. Ros. ad pag. 31. depicta et descripta est varietas floribus roseis sub nomine R. stylosae. Synonimon Desvauxii hoc loco allegatum potius ad R. leucantham spectare videtur. Cell. Lindley duas varietates subordinat, quae forte ut species distingui merentur (?), scilicet:

β. lanceolata: foliis ovato-lanceolatis, fructu sphaerico. Hab. in Hibernia australi.

γ. Monsoniae: caule humiliore, florifero erecto, multifloro, ramis raro setigeris, fructibus aurantiacis. Uberrime floret. Hab. prope Watford; detecta per Miss Monro (? Monson ?).

ROSA *Kosinsciàna. Besser.*

R. urceolis ovatis, basi attenuatis, et hispidis; sepalis, subappendiculatis, centematosis; foliolis elliptico-subrotundis, subbiserratis; serraturis anticis majoribus, convergentibus, caule aculeato. T.

Rosa Kosinsciana. Besser Enum. pl. Volhyn. et Podol p. 64.

Floribus magnis, planis, roseis, fructibusque maximis, ovato-oblongis a proxima R. canina glandulosa et ejus varietatibus primo intuitu differt. Frutex ex altioribus, cortice subfusco, aculeis sparsis foliatis (? subfoliaceis ?), rarius uncinatis, parum compressis, basi oblonga. Foliola 5 — 7, elliptico-subrotunda, rarius acuta, subbiserrata, serraturis profundis cuspidatis, anticis in foliolis obtusis magis convergentibus, baseos minimis, utplurimum glandulosis, laevia, glauco-viridia, subtus pallidiora. Petioli glandulosi et aculeati. Stipulae lineares acutae, glanduloso-serrulatae. Corymbi pauciflori, hujusque raro ultra 3 flores vidi. Bracteae lanceolatae. Pedunculi glanduloso-setosi, vix pollicem aequantes. Receptaculum ovatum, basi attenuatum et setosum, lividum. Calycis segmenta dorso glanduloso-hispida. Pinnulae paucae, angustae. Petala calyce longiora, biloba. Styli villosi, tubo longiores. Stigmata conglobata in capitulum depressum. Fructus ovato-oblongus, pollicaris et ultra, coccineus. E Podolia ad Tyram. Besser.

Valde affinem puto R. brevistylae, et quidem praecipue illae varietati, quam cell. Redoutée in Rosarum Tomo III. sub nomine R. stylosae depinxit. T.

ROSA *leucàntha. Loiseleur.*

R. germinibus ovatis pedunculisque glabris, calycinis laciniis pinnatifidis, petiolis aculeatis villosis, foliolis ovatis acutis subtus pubescentibus, floribus corymbosis terminalibus. Lois.

Rosa leucantha. Loiseleur des Longchamps Notice s. l. pl. à ajout. p. 82. Bast. suppl. p. 32. D. C. Fl. fr. VI. p. 535. Merat Fl. de Paris p. 193. Red. Ros. I. p. 129. c. ic.

Rosa obtusifolia. Desv. Journ. bot. 2. p. 137.

Rosa canina obtusifolia. Idem J. b. 1813. p. 115.

Rosa stylosa. Desv. Journ. bot. II. 317. et 336. IV. 113. t. 14. Poiret Encycl. Suppl. IV. 709.

Frutex frondosus 6 — 12 pedalis. Aculei sparsi, validi, uncinati, eleganter rubri, principales geminati, et nonnunquam sub ramulis junioribus ad 5 — 6 verticillatim aggregati. Illi ramorum adultiorum rariores, grisei, minores. Folia 2 — 3juga, foliolis ovatis, acuminatis in ramis superioribus, obtusis in inferioribus, simpliciter dentatis, superne vix pubescentibus, subtus et margine tomentosis. Petioli molliter villosi, plerumque armati aculeolis flavescentibus, uncinatis, reflexis. Stipulae latae, acutae, tomentosae, margine glanduloso-villosae. Flores majusculi, leviter odorati, corymbosi, terminales. Urceolus oblongus glaber, uti pedunculi brevissimi, bracteis ovato-acutis, glanduloso-ciliatis obvallati: Calycis laciniae inaequales, 3 pinnatifidae, 2 simplices, intus tomentosae, extus glabrae. Styli distincti hirsuti.

R. leucantha affinis R. brevistylae e. s. Habetur varietas (R. canina obtusifolia Desv.) omnibus partibus minor, foliolis fere omnibus obtusis, et floribus rarioribus, et alia floribus subsolitariis, quae R. stylosa primaria Desv. l. c. est. R. stylosa Bast. est R. brevistyla.

Hab. in Gallia prope Dreux, Meudon et alibi in sepibus.

SERIES VII.

RÖSSIGIANA.

Glandulosae, floribus speciosis, foliolis parvis, aculeis sparsis rectis, fructibus depresso-globosis.

Species: R. Eglanteria.

ROSA *Eglantèria. L.*

R. urceolis globosis glabris, laciniis cal. glanduloso-hispidis; pedunculis pubescentibus, floribus magnis, subsolitariis; foliolis obovatis, basi angustatis, supra glabris, subtus glandulosis, subtriplicato-serratis, petiolis pubescentibus, inermibus; ramulorum aculeis, inaequalibus, sparsis, rectis. T.

Rosa eglanteria. Linn. Sp. pl. 703. Red. Ros. I. p. 69. Bechstein Forstb. p. 239.

Rosa lutea. Willd. Sp. pl. II. 1064. Ait. h. k. ed. 2. III. 258. Curt. Bot. Mag. 363. Mss. Lawr. R. t. 12. Rau En. p. 157. Guimpel. I. p. 111. t. 84. Lindl. Ros. no. 48.

Rosa chlorophylla. Ehrh. Breitr. II. 69. Bechstein Forstbot. p. 948.

Rosa bicolor. Jacq. hort. vind. I. p. 1. t. 1. et III p. 1.

Apud Du Roi porro R. punicea, Allionio R. foetida, Roessig R. cerea Roth R. cinnamomea, hortulanis Rosa tulipa, R. turcica, R. capucinorum et R. austriaca vocatur.

Frutex 3 — 13 pedalis, decumbens, sarmentosus; foliola parviuscula, fere in modum R. rubiginosae odorata, forma multum aberrantia. Cal. laciniae variae plerumque simplices, corolla breviores. Flores saturate lutei, vel etiam fulgenti-phoenicei, subtus aurantii, odore cimicino ingratissimi. Fructus magni, globoso-depressi, coccinei, nitidi.

Hab. in Germania, Italia, Gallia, Hispania et Anglia. Species distinctissima, bene distinguenda a R. rubiginosa, quae pariter ab aliis R. eglanteria vocatur, ab aliis e. gr. Hallero, autem penitus cum praesenti pro una eademque specie declarata fuit.

ROSA *Eglanteria bicolor.*

Distinguitur petalis intus phoeniceis extus aurantiis. Habentur etiam subvarietates floribus e flavo et phoeniceo variegatis et floribus polypetalis. T.

Habitat in Europa australi et colitur in hortis; planta speciosissima, multiflora.

Haec est R. bicolor Jacq. Hort. Vind. I. p. 1. t. 1. In hortis passim sub nomine R. puniceae, et austriacae divulgata.

ROSA *Eglanteria subrubra. Thory.*

Distinguitur ramulis inermibus, foliolis glaucèscentibus, petiolis glabris, pedunculis centematosis, stigmatibus flavis nec rubris, petalisque auroreis, nec flavis vel coccineis.

Depicta habetur in Red. Ros. III. ad pag. 73. an mera varietas? Colitur Parisiis in horto Dni. Redoutei et Commentator ill. Thory putat, eam e seminibus R. Eglanteriae luteae enatam fuisse. T.

SERIES VIII.

CANDOLLEANA.

Undique glandulosae, glandulis odoris; foliola plerumque biserrata. Aculei sparsi (etiam copiosi) varii, adultiores adunci, saepe purpurei. Flores plerumque rubri, parvi vel mediocres. Urceoli plerumque ovati, raro globosi; frutices saepe parvi. Calyces appendiculati, spathulati.

Species: R. umbellata. Leers. R. concavifolia. Wz. R. iberica. Steven. R. caryophyllacea. Bess. R. elliptica. Tausch. R. Klukii. Bess. R. podolica. T. R. Isaurae. T. R. rotundifolia. T. R. flexuosa. Rau. R. micrantha. Smith. R. nitidula. Bess. R. Jundzilli. Bess. R. floribunda. Bieberst. R. pulverulenta. Bieberst. R. Libertiana. T. R. suaveolens. Pursh. R. rubiginosa. L. R. cretica. Tournef. R. glutinosa. Sibth. R. Heckeliana. T. R. sicula. T. R. ferox. Bieberst. R. myriacantha. Decand. R. viminea. Lindl.

ROSA *umbellàta. Leers.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi glabro, pedunculis hispidis; foliolis pubescentibus, subtus dense glandulosis, duplicato-serratis; petiolis subvillosis cauleque aculeatis; floribus cymosis: cymae trifidae ramificationibus aculeis rectis confertissimis, muricatis. Rau.

Rosa umbellata. Leers fl. Herborn. p. 119. Borkhaus. Forstbot. II. p. 1330. no. 486. (excl. Syn.) Bechst. Forstbot. p. 1045. no. 157. Gmel. f. Bad. Als. II. p. 425. no. 765. D. C. Fl. Fr. VI. p. 532. no. 3695. a. Rau Enum. p. 140.

Rosa sempervirens. Roth. fl. Germ. I. 218. II. 556. (excl. Syn.) Wibel fl. Werthem. p. 350.

Rosa tenuiglandulosa. Mérat Fl. Par. 189.

Rosa Eglanteria. Andr. Roses fasc. 26.

Rosa rubiginosa. Jacq. fl. Austr. I. p. 31. t. 50. Hoocker in Flor. Lond. new Ser. f. 20. Lindl. Ros. p. 87.

Quatenus lubet hanc speciem a R. rubiginosa distinguere, plura quoque Synonima R. rubiginosae adjecta huc forte debent transferri. Varietates porro plures, quae alias R. rubiginosae adscriptae fuerunt, nunc R. umbellatae debebunt subjungi, et ipse hoc loco subjungo. Non enim mea opinio in tali discrimine quidquam decernere potest; sed elucubrationes fideliter colligere et componere, quas alii exposuerunt, hoc est, quod volo ac debeo.

R. umbellata dicitur a R. rubiginosa differre, quod sit frutex major, foliola majora, supra nitida, obscure virentia, vix pubescentia; aculei rariores, plerumque sub stipulis ad 2—3 aggregati; umbella 3—11 flora, pedunculo centrali breviore, crassiore, ebracteato, saepius inermi; segmenta calycina partim corolla longiora, apice foliolosa; fructus oblongo-elliptici. T.

Hab. in Germania, Austria, Gallia et Anglia.

ROSA *umbellata anemoniflora.*

Distinguitur a R. umbell. Elisabethae, cui ceterum simillima, cyma ampliori, pedunculis longioribus, urceolis majoribus, vix basi hispidulis, appendiculis calycis longissimis, linearibus, floribus majoribus, petalis subconvolutis, conchaeformibus, intus ad imitationem Anemones coronariae plenae decrescentibus. T.

Varietas spectabilis et multis aliis praeferenda non modo ob decorem sed etiam ob foliolorum fragrantiam, vinoso-balsamicam. Icon apud Redout. in Ros. T. III. ad pag. 25. Huic proxima est Andrewsii R. Eglanteria robusta in Ros. fasc. 37. diversa tantum pedunculis brevioribus, floribusque potius plenis, pannosis, ranunculaceis. T.

ROSA *umbellata. Elisabethae.*

Distinguitur caule 2—3 pedali, glabro, aculeis rarioribus, saepe substipularibus, majoribus recurvis, foliolis majoribus, apice et basi acutiusculis, subtus glanduloso viscosis, fragrantibus, stipulis margine glandulosis, floribus cymosis mediocribus, polypetalis, intense roseis, expansis, pedunculis calycibusque nonnunquam glanduloso-hispidis; calycis segmentis maximis basi subpinnatifidis, apice foliosis, pinnatifido-dentatis. T.

Sub nomine R. rubiginosae Zabeth hortulanis cognita et etiam apud Redouteum in Ros. T. II. ad pag. 5. depicta habetur. Magis tamen affinis R. umbellatae, et potius hujus, quam R. rubiginosae varietas esse videtur. Nomen in venerationem Elisabethae, reginae Angliae, quae oleum essentiale ex hac varietate praeparavit, quod ad arcanum addebatur, de cujus virtutibus cell. Rosenberg in sua Rhodologia p. 259, dicit: „Caput . . . cor et alias humani corporis partes . . . . mire roborat, spiritus recreat, memoriam firmat, vim procreandi insigniter promovet, etc.“ Hoc arcanum Regina Elisabetha Imperatori Rudolpho II. donasse narratur. v. Redout. Ros. T. I. p. 94. T.

ROSA *umbellata crus galli.*

Distinguitur caule vegeto glaberrimo, aculeis sparsis subrecurvis, sed fortissimis maximis, purpureis, foliolis subrotundis, subtus canescentibus, supra saturate viridibus, nitidis, fragrantissimis; ramulis floriferis lateralibus subaphyllis, aculeatis, et hispido-aculeatis, floribus fasciculato-cymosis, mediocribus plenis expansis, pulcherrime roseis, pedunculis, urceolis ovatis, segmentisque corolla fere longioribus, glanduloso-hispidissimis, bracteis nervo roseo notatis. T.

Icon egregia apud Andreusium in Ros. fasc. 3. Cum haec varietas in Anglia jam ab omni tempore habeatur, verbo cum omnes varietates anglicanae ad R. umbellatam spectent, quam ut normalem dedimus, maxime nobis verosimile videtur, quod virtutes quae R. Zabeth adscribuntur, etiam huic, ceterisque R. umbellatae varietatibus imputandae sint. R. umbellata major huic proxime affinis est. T.

ROSA *umbellata major.*

Distinguitur caule glabro altiori aculeato, aculeis sparsis magnis recurvis purpureis basi latissimae insidentibus, ramulis floriferis lateralibus, subinermibus, cymis divaricatis foliiferis, foliolis maximis bipollicaribus et ultra, petiolis aculeatissimis, pedicellis brevibus undique, urceolis globosis basi et segmentis pinnatifido-laciniosis extus glanduloso-hispidis, floribus semiplenis, majoribus, expansis, petalis venosis. T.

A R. crus galli differt magnitudine aucta omnium partium, aculeis paullo minoribus, magis recurvis, cyma divaricata. Icon apud Andreusium in Ros. fasc. 20. sub nomine R. Eglanteriae majoris. Hujus subvarietem minorem, aculeis longissimis falcatis floribus semiplenis, petalis reticulato-venosis, v. apud Andr. in Ros. fasc. 24. sub nomine: R. Eglanteria marmorea.

ROSA *umbellata racemosa.*

Distinguitur caule glabro, aculeis rarioribus per paria oppositis subfalcatis minoribus purpureis, foliolis ovatis inaequalibus, maximis sesquipollicaribus; concaviusculis, floribus in racemum terminalem dispositis, plenis, expansis, mediocribus; pedunculis, pedicellis, urceolis subglobosis, segmentisque subintegris glanduloso-hispidis. T.

Si omnes flores ita dispositi essent, non dubitarem de jure specifico hujus plantae. Sic autem ad latera nonnunquam etiam umbellae vel cymae observantur. Ceteris accedit ad R. umbellatam majorem. Est itaque mera R. umbellatae varietas. Icon in Andr. Ros. fasc. 20. sub nomine R. Eglanteria multiplex.

ROSA *umbellata muscosa.*

Distinguitur caule humiliore, superne aculeatissimo, aculeis maxime inaequalibus, plerisque falcatis, quibusdam validissimis, basi dilatata, supremis rectis, minoribus, omnibus purpureis; foliolis ovato-subrotundis, mediocribus, aliis ovato-oblongis, maxime glandulosis; floribus corymbosis mediocribus, plenissimis, expansis, subturbinatis; pedicellis, urceolis subglobosis magnis segmentisque alterne pinnatifidis maxime glanduloso-hispidis et fere leprosis. T.

Datur subvarietas aculeis albidis fere aequalibus, urceolis ovatis minoribus, floribus minoribus, albo-roseis, semiplenis. Ambarum icones habentur in Andrew's Ros. fasc. 25. in eadem tabula sub nomine R. Eglanteriae muscosae.

ROSA *umbellata aucta.*

Distinguitur caule superne aculeatissimo, aculeis minoribus rectis, in parte inferiori majoribus, recurvis, sparsis; foliolis parvis late-ovatis, subtus et margine glanduloso-hirtis, rubiginosis, odoratis. Flores terminales lateralesque, solitarii, umbellati atque cymosi, pedunculis elongatis, urceolis obovatis, et calycis segmentis praelongis, appendiculatis, glanduloso-hispidis. Flores saturate rosei, majusculi, petalis numero adauctis.

Sub nomine R. Hessiacae parvae in hortis divenditur. Apud Redouteum T. II. p. 75. sub nomine R. rubiginosae flore semipleno descripta atque depicta habetur. A R. suaveolente, quacum Thoryus ap. Red. l. c. coadunare intendit, differt aculeis minoribus, foliolis subtus valde glandulosis, floribus subaggregatis, calycisque segmentis appendiculatis.

ROSA *umbellata triflora.*

Distinguitur floribus terminalibus plerumque ternis, brevissime pedunculatis, urceolis pyriformibus glabris, segmentis calycinis gracilibus, integerrimis. T.

Hab. in sepibus ac dumetis Galliae et Germaniae. Frutex 5 — 6 pedalis, copiose aculeatus, aculeis inaequalibus, plerisque recurvis. Icon ap. Redout. Tom. I.

ROSA *umbellata aculeatissima.*

Distinguitur caule 4 pedali, undique aculeatissimo, aculeis rectis, superne tandem setaceis, fere ut in R. pimpinellifolia; foliolis parvis subrotundis, supra subpubescentibus, subtus margineque glandulosis, pedunculis aculeato-hispidis, bracteatis, segmentis calycinis saepius appendiculatis, urceolis ovatis, glanduloso-hispidis, floribus subternatis parvis, saturate roseis. T.

Cell. Thory in Redout. Ros. T. II. p. 97. c. ic. putat esse proximam Rosae suae rubiginosae triflorae, et revera ab hac non nisi aculeis rectis, foliolis rotundatis, pedunculis elongatis et urceolis glanduloso-hispidis discedit. Utraque varietas R. umbellatae est.

ROSA *umbellata parvifolia.*

Distinguitur urceolo subgloboso glabro, pedunculis glanduloso-hispidis ; foliolis rotundo-ovatis, acutis, illis R. umbellatae vulgaris duplo minoribus, subtus resinoso-rubiginosis; aculeis ramulorum validis, aduncis; floribus subsolitariis, saepius tamen binis vel ternis. Rau.

Hab. copiose circa Herbipolim. v. Rau Enum. Ros. p. 135. an foliola glabra? Haec intermedia inter R. umbellatam et rubiginosam.

ROSA *concàvifolia. Waitz.*

R. urceolis ovatis, glabris; segmentis appendiculatis, hirsutis, eglandulosis; pedunculis hispidis, petiolis glandulosis, aculeatis, foliolis odoratis, ovatis; duplicato-serratis, utrinque pubescentibus; stipulis margine glandulosis; floribus subcorymbosis. Waitz.

Rosa concavifolia. Waitz in litt.

Frutex 6—8 pedalis. Turiones glabri, primo rufi. Foliola pleraque concava, obscure viridia, rufo marginata. Flores pleni, parvi, sub initio Julii adparent.

Pro nostro arbitrio filia R. umbellatae. An pro specie sufficienter diversa? T.

ROSA *ibèrica. Steven.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris setulisve perpaucis hispidulis, aculeis caulinis sparsis, basi dilatatis, aduncis, petiolis glandulosis aculeatis, foliolis (mediocribus) lato-ovatis, glanduloso-biserratis, utrinque glandulosis. M. Bieberst.

Rosa iberica. Bieberst. Fl. taur. cauc. III. 345. et huc refert sequens Synonimon:

R. germinibus subglobosis, pedunculisque hispidis, glabrisve, caule petiolisque aculeis aduncis, foliolis ovatis, obtusiuscule serratis utrinque glandulosis, petiolis haud pubescentibus. Steven manuscr.

A R. pulverulenta Bieberst. differe dicitur statura altiore, defectu aculeorum caulinorum secundariorum, primariorum majori copia, defectu villositatis, et hispiditate pedunculorum, urceolorumque minori. Foliola praeter glandulas nuda, utrinque glutinosa. Comparatur etiam cum R. caryophyllacea Besseri (in catal. hort. cremenec. a. 1811. suppl. 4. p. 18. et Catal. 1816. p. 117.) quae medium tenet inter R. pulverulentam et ibericam. Nos consideramus ut filiam R. rubiginosae.

Hab. circa oppidum Krzchinval Iberiae occidentalis. ♉.

ROSA *caryophyllàcea. Besser.*

R. calycis tubo (urceolo) ovato pedunculisque glabris, calycum laciniis pinnatis, petiolis pubescentibus, foliolis ellipticis, subtus incanis, et serraturis duplicatis, glanduloso-scabris, aculeis infrastipularibus et petiolorum recurvis, basi compressis. Besser.

Rosa caryophyllacea. Bess. Catal. hort. Cremenec. a. 1811. Suppl. 4. p. 18. et Cat. a. 1816. p. 117.

Convenit villositate et praeterea glandulis foliolorum cum R. pulverulenta, ceteris potius cum R. iberica. Foliola non solum subtus et margine, sed utrinque glandulosa video in specimine mihi a cl. auctore communicato. Villositas mox parca; mox insignis, ut in juniore R. pulverulenta viscositatem abscondens. M. B. fl. taur. cauc. III. 345.

Hab. in Poloniae australioris frutetis. Valde affinis R. ibericae et ad mentem ill. L. B. Marsch. Bieberst. fortasse specie haud vere distincta ab eadem. Noli confundere cum R. centifolia caryophyllea Red. Ros. I. p. 113. c. ic. vel R. dianthiflora Andr. Ros. fasc. 29. quarum prior est varietas R. centifoliae, et altera R. austriacae. T.

Frutex mediae altitudinis, foliola céntematosa, caryophyllum redolentia, pedunculi breves 1—3. Flores parvi, rosei, petalis emarginatis. Fructus elliptici aut obovati, coccinei. Bess. En. Volh. et Pod. p. 20. petioli saepius glabri. Styli villosi, stigmata conglobata, petala saepius glanduloso-ciliata. Bess. l. c. p. 68.

ROSA *ellìptica. Tausch.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis, pedunculisque glabris; foliolis ellipticis inaequaliter, glanduloseserratis, basi integerrimis, opacis, subtus, petiolisve subinermibus, piloso-glandulosis, glaucesoentibus; caule aculeis reflexis stipularibus. Tausch.

Rosa rubiginosa. Guimpel deutsch. Holzart. I. 121. t. 91.

Admodum affinis R. rubiginosae, sed ab hac primo intuitu differt foliolis ellipticis, tenuiter serratis, opacis, subtus albidis, floribus pallide roseis, magis expansis, petalisque longius unguiculatis. Transitum a R. rubiginosa ad R. pulverulentam M. Bieberst. statuere videtur.

Hab. in apricis aridis montium, cum R. rubiginosa in Bohemia. Fl. Jun. Jul. ♉. Affinitas patet ex dictis. Fructus obovato-elliptici, majusculi, sanguinei; basi subhispidi. T.

ROSA *Klùkii. Besser.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, aculeis caulinis raris, basi dilatatis, compressis, recurvis; petiolis glanduloso-villosis, aculeatis, foliolis (majusculis) lato-ovatis, glanduloso-biserratis, supra subvillosis, subtus glanduloso-scabris, floribus subcorymbosis. Bieberst.

Rosa Klukii. Besser Catal. hort. Cremen. a. 1816. p. 118. Marsch. Bieberst. Fl. taur. cauc. III. 346.

Rosa balsamica. Bess. Catal. hort. Crem. a. 1811. suppl. 4. p. 18.

Facies R. collinae, latifoliae, pubes potius R. rubiginosae. Aculei infra stipulas, vulgo 2 — 3, alterni, majusculi, juniores livescentes, apice albidi. Petioli aculeis raris curvulis armati, villosi: interspersis glandulis stipitatis. Foliola majuscula argute biserrata, supra parum villosa, subtus vix discoloria, glanduloso-scabra. Flores vulgo corymbosi, forma et colore florum R. collinae, calycis quoque segmentis valde pinnato-appendiculatis. Styli apprime villosi, ut in affinibus. Fructus globosi, vel globoso-ovati, rubri. Bieberst.

Hab. in Tauria. Affinis R. rubiginosae et transitum sistit ad familiam R. villosae. Mirabilis est permutatio urceoli ovati, seu elliptici in fructum globoso-ovatum, vel (secundum Besseri definitionem) globosum. Ill. L. B. Marsch. Bieberst. hoc loco allegavit Wahlenbergii R. rubiginosam (Ej. Fl. carpat. no. 489.) sed subscripsit (non synonima) nos etiam non credimus synonimam. — Quare vero allegavit? ♉.

Cel. Besser in En. pl. Volhyn. et Pod. p. 67 — 68. dicit: „An R. Klukii, R. sepium Thouill. et R. glutinosa Schulz specifice differant, valde dubito.“

ROSA *podòlica. T.*

R. calycis tubo (urceolo) globoso, pedunculis, foliolisque ellipticis acutiusculis biserratis glabris, petiolis cáuleque aculeatis, aculeis compressis, recurvatis. Besser.

Rosa glaucescens. Besser Enum. pl. Volhyn. Podol. etc. p. 19.

Frutex validus, foliolis plerumque 5, costa extimi ceteris majoris plerumque subtus aculeata. Calycis laciniae pinnatae. Styli villosi. Flores ipsos nunquam vidi. Bess.

Hab. in Podolia. Attulit Andrzeiowski. Proxima R. Klukii T. (R. balsamicae Bess.) differt vero praeprimis foliolis magis ellipticis, acutisque, subtus eglandulosis, petiolis nudis, qui rarius plus minusve glandulosi et pubescentes, et calycis tubo magis globoso. Besser. l. c.

Cum jam existat R. glaucescens, debebat nomen mutari, quod optime a patria derivandum existimavi. T.

ROSA *Isaùrae. T.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, pedunculisque glabris; foliolis subrotundis, utrinque glandulosis, serratis; serraturis iterum serratis, glandulis terminatis; petiolis aculeatis; aculeis ramulorum turionumque substipularibus; floribus solitariis. Thory.

Rosa rubiginosa. ε Isaureae. Thory ap. Redout. in Ros. T. I. p. 94.

Rosa Sabina. Du Pont Catal. inedit. serie 11.

Frutex pedalis vel ad summum sesquipedalis, ramosus, ramis divaricatis. Pedunculi uniflori, brevissimi; urceoli et segmenta rarissime et tenuissime hispiduli.

Hab. secundum c. Du Pont in insulis Archipelagi cum R. cretica. Si hanc ut varietatem suscipere vellem, multum dubitandum foret, num pro R. rubiginosae, num potius pro R. creticae, rotundifoliae vel glutinosae varietate declarare deberem? In hoc discrimine optimum existimavi, si ut speciem propriam exponerem, quae tandem subsequis observationibus vel melius illustrari vel ad suam speciem reduci debebit. T.

ROSA *rotùndifòlia. T.*

R. calycis tubo (urceolo) subgloboso, glabro, pedunculis glanduloso-hispidis; foliolis subrotundis, duplo minoribus, subtus resinoso-rubiginosis; ramis flagelliformibus, rarioribus, laxis, ramulorum aculeis rectiusculis, tenuibus, plerisque geminis. Rau.

Rosa rubiginosa δ rotundifolia. Rau Enumer. p. 136.

Frutex 2—3pedalis, ramos rariores, quam aliae varietates proferens. Ramulorum aculei plerumque gemini, tenues, rectiusculi. Foliola subrotunda, ½ unciam longa, aculeos ramulorum parum superantia. Calycis tubus subglobosus, glaber. Laciniae calycinae appendiculatae, glandulosae. Corolla parva, saturate rosea. Flores solitarii. Rau.

Hab. circa Herbipolim, sat frequens, et primo intuitu jam procul dignoscenda.

Relative ad ceteras hujus seriei species mihi pro varietate R. rubiginosae nimis distincta videtur, et quidem magis quam R. cretica, umbellata, et similes plures. Maxime profecto dubitandum foret, cui speciei ut varietas subjungenda foret. De R. rubiginosa enim magis aberrare videtur quam de R. cretica, Libertiana, et affinibus. T.

ROSA *flexuosa. Rau.*

R. calycis tubo (urceolo) oviformi, basi, pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis elliptico-ovatis basi rotundatis, supra subglabris, subtus pubescentibus, ad venas primarias glandulosis, duplicato-serratis; petiolis pubescentibus glandulosis cauleque aculeatis: ramulorum aculeis stipularibus. Rau.

Rosa flexuosa. Rau En. ros. p. 127.

Rosa sylvestris alba cum aliquo rubore, folio hirsuto. J. Bauh. II. p. 44?

Frutex altitudine R. caninae. Rami splendentes, supra fusci, subtus flavescenti-virides, flexuosi, internodii brevissimi, confertissimi, aculeis stipularibus solitariis vel geminis aduncis suffulti. Petioli pubescentes, glandulis copiosissimis tecti, subtus confertissime aculeolati, aculeolis aduncis. Stipulae dilatatae subtus pubescentes et glandulosae. Foliola 3 — 7na elliptico-ovata, subtus pubescenti-glandulosa, duplicato-serrata, serraturis stipitato-glandulosis. Flores 1 — 3, corymbosi; corymbus bractea et folio ternato suffultus, floribus lateralibus singulariter bracteatis. Laciniae cal. lanceolatae in acumen setaceum protensae, glandulosae, appendiculatae, appendicibus setaceis, et fere iterum appendiculatis. Flores magni, pallide rosei. Fructus glabri et cetera omnia ut in R. rubiginosa vulgari. Rau.

H. circa Wirceburgum in Bavaria. R. rubiginosae admodum affinis. Raftinesque-Schmalz in America septentrionali aliam speciem, minus adhucdum cognitam, R. flexuosam nominavit. V. Poiret Encycl. Add. et Corr. p. 778. Haec nobis R. Raffinesquejana est.

ROSA *micràntha. Smith.*

R. urceolis ellipticis, fuscis, basi sparse hispidis, aculeis aduncis, substipularibus, petiolis tomentosis, glandulosis, aculeatis; foliolis ellipticis, duplicato-serratis, subtus glandulosis, stylis inclusis, fructibus ampullaceo-ellipticis. T.

Rosa micrantha. Smith. Engl. Bot. t. 2490. Woods in Linn. Trans. XII. no. 15. et Jahrb. d. Gew. I. 2. p. 125.

Frutex 5 — 8 pedalis. Aculei adunci, nunc sparsi, nunc binato-stipulares. Petioli aculeis rectiusculis et falcatis muniti. Stipulae lineares, glanduloso-serratae, interdum subtus glandulosae, cymarum tandem, foliis deficientibus, in bracteas lanceolatas, acuminatas immutatae. Foliola 5 — 7, elliptica, supra vix hirta, subtus pilis glandulisque odoriferis tecta. Pedunculi, 1 — 11, setis obsiti, intermixtis rarissimis aculeolis. Urceoli praecipue basi hispidi. Calycis laciniae glandulosae, pinnatae; pinnis lanceolatis, glandulosis, ciliatis. Flores cyathiformes (hinc ad R. involutam accedens!) rubescentes. Styli inclusi; stigmata planiuscula. Fructus parvi, coccinei, interdum elliptici, sed saepius plus minusve urceolati.

Maxime affinis (etiam consentiente Woodsio) R. rubiginosae, quae illi R. eglanteria audit. R. nemorosa Libert (R. rubiginosa nemoralis Red. II. p. 23. c. ic. R. Libertiana T.) habet etiam flores valde parvos, rubros, et praesenti affinis, tamen non minus ac R. rubiginosa, Borreri, ferox et sim. pl. multis notis differt essentialibus. Odor varius modo penitus ille R. rubiginosae, modo admodum debilis, alias iterum illi R. tomentosae simillimus, terebinthinaceus.

Hab. in sepibus et dumetis Angliae mediae et australis. Noli confundere cum R. micrantha Decand. quae est nostra R. Pouzini!

ROSA *nitidula. Besser.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, basi pedunculisque hispidulis, aculeis caulinis sparsis, validis, compressis, recurvis, petiolis glanduloso-villosis, aculeatis, foliolis (mediocribus) elliptico-ovatis, acutis, argute-biserratis, glabriusculis, utrinque concoloribus, floribus subsolitariis. Bieberst.

Rosa nitidula. Besser Catal. hort. Crem. a. 1811. Suppl. 4. p. 30. Cat. a. 1816. p. 118. M. B. Fl. taur. cauc. III. 347.

Rosa arguta. Steven manuscr.

Facies R. Jundzilli. Foliola quidquam acutiora, et argutius biserrata, subtus quoque glabriuscula, laetius viridia. Pedunculi setulae glanduliferae parvae passim et in germinis basin ascendunt; rarius plane desiderantur. Calycis segmenta valde pinnato-appendiculata, dorso rubiginosa. Fructus sphaeroideus, ruber. Bieberst.

Hab. in Tauriae nemoribus atque dumetis. Affinis R. rubiginosae, sed jam longius distans. Definitio Besseri declinat a nostra Biebersteiniana: urceolo subgloboso glabro et foliolis lucidis, glabris.

R. nitidula: calycis tubo subgloboso glabro, pedunculis setosis, petiolis cauleque aculeatis, aculeis compressis, aduncis, foliolis lucidis, ovato-ellipticis, acutis, biserratis, glabris. Frutex robustus, aculeis copiosis, validis, rubris armatus, ramis lividis. Flores solitarii sat parvi carnei, petalis emarginatis. Fructus coccinei, magni, subrotundi, sapidissimi. Styli villosi, stigmata in capitulum conglobata et folia subtus plus minus glandulosa. Bess. in Enum. pl. Volhyn. et Podol. p. 20 et 67.

ROSA *Jundzilli. Besser.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, basi, pedunculisque hispidis, aculeis caulinis raris, basi dilatatis, compressis, recurviusculis, petiolis glanduloso-villosis, aculeatis, foliolis (majusculis) ovatis, argute glanduloso-biserratis, subtus glaucescentibus, subvillosis: venis glandulosis, floribus subcorymbosis. Bieberst.

Rosa Jundzilli. Besser Catal. hort. crem. a. 1816. p. 117. M. B. Flor. taur. cauc. III. 347.

Rosa glandulosa. Bess. Cat. h. crem. a. 1811. Suppl. 3. p. 20.

Habitu cum R. collina convenit. Villositas in foliolis parca. Petioli villosi cum rubigine ex glandulis inspersis: aculeolis raris, hinc inde nullis. Aculei caulini ut in praecedente. Flores corymbosi, majusculi. Setulae pedunculorum et baseos germinum minutae glanduliferae. Calycis laciniae glanduloso-rubiginosae, pinnatim appendiculatae. Fructus ovati, coccinei. Bieberst. et Besser. l. c.

Hab. inter affines per Tauriam et Caucasum. ♄. III. L. B. Marsch. Bieberst. l. c. (cum signo interrogationis) subjungit Synon. R. umbellatae. Revera haec quidem praesenti admodum affinis est, identitas tamen specifica nondum erui potest. Sane, si haec identitas demonstraretur, tunc potius R. Jundzilli esset Synonimon R. umbellatae, cum haec posterior jam species vetusta et a pluribus auctoribus classicis recepta sit.

Frutex validus, ramulis floriferis superne setoso-aculeatis. Foliola subtus plus minusve glandulosa, praecipue ad venas. Bess. in Enum. pl. Volhyn. et Podol. p. 67. ubi etiam plures varietates commemorantur, quae illam (hoc loco R. Jundzilliana dictam) cum R. provinciali (pomponia) connectere videntur. T.

ROSA *floribùnda. Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, basi, pedunculisque hispidis; setulis glanduliferis, aculeis caulinis validis basi compresso-dilatatis recurvis, petiolis villosis aculeatis, foliolis (minoribus) ellipticis, acutis, argute biserratis; serraturis glandulosis, supra villosis, subtus glanduloso-rubiginosis. Bieberst.

Rosa floribunda. Steven manuscr. Besser catal. hort. crem. a. 1816. 4. p. 19. (in nota.) M. B. fl. taur. cauc. III. 343.

Rosa rubiginosa. M. B. l. c. I. 398. (exclus. synonimis.)

Varietas humilior incondita: foliolis parvis, floribus quoque minoribus albis, ad latera collium lapidosorum circa Tauriae oppidum Bachtschisarai et passim in montibus peninsulae maxime meridionalibus occurrit. Bieberst.

A R. rubiginosa differre dicitur germinibus ovatis pedunculisque setoso-hispidis: setis subeglandulosis, aculeis caulinis validis, basi compresso-dilatatis, recurvis, petiolis villosis aculeatis, foliolis (minoribus) lato-ovatis, grosse-serratis: serraturis glandulosis, subserrulatis, supra villosis, subtus glanduloso-rubiginosis; colore foliorum inodororum magis glauco, pedunculis quidquam longioribus cum basi germinis setulis exilibus semper glanduliferis parum exasperatis, quandoque subinermibus, nec setis majusculis, saepius eglandulosis, fere ut in R. villosa armatis, denique floribus pallidioribus quandoque albis. Bieberst. Vid. Praefationem!

Cave ne confundas cum hac R. floribundam hortulanorum, s. multifloram Wred. vel. floribundam Wred. proliferam Breit.

R. floribunda Bieberst. hab. in Tauriae sylvaticis et collibus herbidis; fl. Majo, Junio. ♉.

ROSA *pulverulènta. M. Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque hispidis, caule aculeis inaequalibus caducis; aliis raris, basi dilatatis recurvis, aliis confertis setaceis; petiolis glanduloso-villosis aculeatis; foliolis (mediocribus) lato-ovatis, glanduloso-biserratis, utrinque villosis, glandulosisque Bieberst.

Rosa pulverulenta. Marsch. Bieberst. fl. taur cauc. I. 399. Ej. Cent. pl. rar. ross. II. t. 62. Ej. fl. t. c. III. 344. Lindl. Ros. no. 50.

Frutex palmaris usque 2pedalis. In ramis annosioribus aculei plerique decidunt et majores solummodo remanent. Petioli villis simplicibus, glandulisque stipitatis vestiti et praeterea aculeolis aduncis armati. Foliola lata, tempore florescentiae utrinque villosa, deinde calvescunt, glandulis utriusque paginae tunc magis in conspectum venientibus. Flores solitarii breviter pedunculati, magnitudine florum R. rubiginosae, carnei. Pedunculi breves cum germine setis parvis glanduliferis undique hispidi. Calyx pinnato-dentatus, glandulis confertis et setis sparsis muricatus, demum supra fructum connivens. Styli brevissimi, hirsuti. Fructus ovati, atrosanguinei, sepalis coronati.

Hab. in Tauria ad latera montium. Affinis R. rubiginosae, floribundae, ibericae et sim.

ROSA *Libertiàna. T.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque glanduloso-hispidis; foliolis quinis, rarius septenis, rotundo-ellipticis, supra subpubescentibus, subtus villoso-glandulosis, inaequaliter serratis; petiolis villosulis cauleque aculeatis; floribus parvulis. Thory.

Rosa nemorosa. Libert. ined. apud Le Jeune Fl. de Spaa. II. 311.

Rosa rubiginosa nemoralis. Red. Ros. II. 23. c. ic.

Frutex 6 — 8pedalis. Rami adulti armati aculeis sat validis, uncinatis, juniores ut et omnes summitates penitus inermes. Foliola parva late ovata, vel subrotunda, acuminata, basi rotundata, utrinque pubescentia, subtus glandulis tenuissimis viscosis cooperta. Petioli pubescentes, aculeati. Stipulae exiguae, apice divaricatae, serrulatae. Flores terminales fere semper solitarii in ramulis novissimis lateralibus, saturate rosei, centro flavescentes, magnitudine Potentillae anserinae. Pedunculi perbreves, setis longis glanduliferis hispidi. Segmenta cal. corolla longiora subsimplicia, caduca. Petala obcordata. Fructus elliptici, subhispidi, rubri.

Hab. in glareosis aridis malmundariensibus (prope Malmedy) detecta a Maria Anna Libert, cooperatrice Florae Spadanae (Spaa) a Le Jeune editae et plantarum praecipue cryptogamicarum investigatrice diligentissima. Certe a R. rubiginosa tantopere differt, ut hac denegata, fere omnes reliquas species ejusdem seriei delere deberemus. Imo ab ipsa serie aliquommodo declinat, et intermediam se quodammodo repraesentat inter seriem R. rubiginosae et illam R. villosae. T.

ROSA *suaveòlens Pursh.*

R. germinibus (urceolis) ovatis (subglobosis), pedunculis, petiolisque glanduloso-hispidis; petiolis subaculeatis; caule glabro; aculeis sparsis, rectis, tenuibus; foliolis 5—7 ovatis, serratis, subtus vix glanduloso-pilosis; ramulis unifloris, calycis laciniis integris. Pursh.

Rosa suaveolens. Pursh. Fl. Amer. sept. I. 346. Poiret Encycl. Suppl. IV. 714.

Rosa Eglanteria americana. Andr. Ros. fasc. 18.

Proles R. rubiginosae in America ex advena degenerando exorta, sed satis diversa aculeis rectis, sat copiosis, parvis; foliolis minoribus, ovatis, vix glandulosis, calycis laciniis integris, urceolis subglobosis. Fructus non cognitus. T.

Hab. in America septentrionali. Advena. Non habent nisi floribus plenis cultam in hortis. Foliola odorata. ♉.

ROSA *rubiginòsa. L.*

R. urceolis obovatis pedunculisque glanduloso-hispidis, petiolis villoso-glandulosis, caulibusque aculeatis, aculeis vetustioribus recurvis, foliolis subrotundo-ovatis, duplicato-serratis subtus et margine glandulosis, suaveolentibus. T.

Rosa rubiginosa. Willd. Sp. pl. II. 1073. Ait. h. k. ed. 2. III. 264. Linn. Mant. 564. Rau Enumer. p. 130. Wallr. ann. bot. 64. Thory in Red. Ros. I. p. 93. excl. pluribus varietatibus. Smith Engl. Bot. t. 991. Lindl. Ros. no. 49.

Rosa Eglanteria. L. Sp. pl. ed. 1. 491. Huds. fl. Angl. 218. Poiret Encycl. V. 286. Woods in Trans. Linn. Soc. XII. no. 14. et in Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 120. Roessig Ros. t. 10.

Rosa suavifolia. Fl. Dan. t. 870.

Frutex 2 — 4pedalis. Rami juniores in planta vegeta aculeatissimi, aculeis subaequalibus rectis, demum caducis, annosiores sparsim aculeati, aculeis validis, uncinatis, basi dilatatis, purpurascentibus, interdum binato-stipularibus. Petioli villosi vel tomentosi aculeis falcatis instructi, minime hispidi. Stipulae et bracteae subtus et margine glanduloso-ciliatae. Folia 2 — 3 juga, foliolis subrotundo-ovatis, quibusdam ellipticis, supra pubescentibus, subtus glanduloso-pilosis, balsamice suaveolentibus, irregulariter, vel duplicato serratis, basi integerrimis. Urceolus obovatus, praesertim primarius, praecipue basi glanduloso-hispidus. Cal. laciniae subpinnatifidae glanduloso-dentatae. Flores (plerumque majores) saepissime solitarii, concavi, rubri. Styli inclusi. Stigmata villosa. Fructus primarius obovatus vel subglobosus, ceteri elliptici, saepe basi, vel et toti hispidi, coccinei, maturitate sanguinei; tandem nigri.

Hab. in Germania, Gallia, Anglia et alibi. Odor foliolorum gratissimus vinose balsamicus.

Cell. Lindley cum hac ut synonimas conjungit R. odoratissimam, micrantham, suaveolentem, Libertianam (nemorosam Lejeune), umbellatam, grandifloram, flexuosam, montanam, rotundifoliam, sepium, helveticam, Borreri etc. Quo jure? discernant alii! T.

ROSA *crètica. Tournef.*

R: urceolis subglobosis, calycis laciniis subsimplicibus, pedunculisque glanduloso-hispidis, foliolis subrotundis, duplicato-serratis, subtus et margine pubescenti, glanduloso-viscosis, floribus subsolitariis. T.

Rosa cretica. Tournef. Coroll. 53.

Rosa rubiginosa cretica. Red. Ros. I. 125.

Differt a R. rubiginosa (matre) caule minus aculeato, fortiori, floribus majoribus, urceolis subglobosis, foliolis duplicato-serratis, subrotundis, subtus viscosis.

Frutex 2 — 3 pedalis. Aculei subrecurvi, basi latissimi, rari, subgeminati, plerumque stipulares. Foliola duplicato-serrata, subrotunda, basi subcordata, subtus et margine glanduloso-pubescentia, viscosa, fragrantia. Petioli aculeati, glanduloso-villosi. Stipulae latissimae, margine glandulosae. Flores subsolitarii, majores, saturate rosei, terminales, lateralesque. Urceolus subglobosus, pedunculique glanduloso-hispidi. Calycis segmenta, plerumque integerrima, apice spatulata, intus tomentosa, extus glanduloso-hispida. Fructus sphaericus, maximus maturitate ruber, et tandem nudus.

Hab. in Graecia, admodum affinis R. rubiginosae, sed tantum tamen diversa, quantum reliquae species praesenti seriei subordinatae. R. glutinosa, a cell. Sieber in Creta lecta, magis a praesenti specie differt, quam a R. feroci, R. sicula, R. Heckeliana et sim. Penitus eandem speciem communicavit in speciminibus siccis clariss. Laur. de Vest, Prof. ad Joanneum, in Styriae monte Buchberg, non procul a Frohnleiten supra Nachnitz lectam. In specimine tali fructifero vidi foliola sesquipollicaria elliptica, ceterum similia.

ROSA *glutinòsa. Sibth.*

R. fructibus globosis, pedunculisque hispidis; aculeis caulinis copiosis, aduncis; foliolis subrotundis, utrinque tomentosis. Smith.

Rosa glutinosa. Smith in Sibth. prodr. fl. graec. et Fl. graec. t. 482. Sieber in Flora cretica sicca. Lindl. Ros. no. 52.

In specimine sicco Sieberiano ramuli divaricati, undique hispidi, setis uncinatis, apice glanduliferis; aculei sparsi, non rari, validi, recurvi, sordide albicantes, basi latissima. Folia 2 — 3juga. Foliola, minora, subrotunda, utrinque molliter tomentosa et glandulosa, duplicato-serrata, serraturis glandulosis; petioli tomentosi, aculeati, glanduloso-hispidi, setulis apice glanduliferis. Stipulae integerrimae, obtusangulae, utrinque tomentosae, et glanduloso-hirtae. Flores subsessiles, solitarii; urceoli globoso-elliptici, fusci, hispidissimi, setis omnibus apice glanduliferis. Segmenta calycis spatulata, utrinque hirto-tomentosa, margine glandulosa. Petala non vidi. T.

Hab. in Cretae alpe Sphak. ♉. Maxime affinis videtur R. feroci.

Ex Lindleyo addo sequentia: Caulis humilis, frondosus, armatus aculeis validis, confertis, inaequalibus, falcatis. Flores parvi, pallide rosei; pedunculi breves, hispidi, viscosi. Fructus ebracteati, coccinei, hispido-glandulosi, calyce connivente coronati.

ROSA *Heckeliàna. T.*

R. urceolis globosis glabris muricatis, pedunculis tomentosis brevissimis, foliolis orbiculatis, duplicato-dentatis, margine subglandulosis, stipulisque utrinque cano-tomentosis, glanduloso-ciliatis, apice obtusissimis; caule aculeato, aculeis subverticillatis. T.

Frutex parvus torvus, diffusus, vix plus quam semipedalis; aculei ad 2 — 3 — 5 subverticillati, majusculi, subrecurvi, basi dilatata, albidi. Stipulae integerrimae lineares, albo-tomentosae. Petioli villosi, aculeis recurvis, rubidis muniti. Folia 3 - 5juga foliolis petiolatis perfecte orbiculatis, duplicato-hinc inde subtriplicato-dentatis, infimis minimis vix bilinearibus, terminali maximo 4lineari. Pedunculus brevissimus, tomentosus, bracteis coopertus, pariter tomentosis margine subglandnlosis. Urceolus fusco-purpurascens glaberrimus, undique muricatus aculeis apice recurvis, saepius glanduliferis. Segmenta calycis integerrima attenuata, nec spatulata, utrinque cano-tomentosa, subvillosa. Petala parva, semipollicaria, profunde emarginata, fere biloba, venosa, saturate rosea. V. siccam in Musaeo caes. reg.

Dnus. Heckel anno 1821. legit in Sicilia in summis jugis alpium Nebrodensium; fl. Junio. Nominavi in honorem inventoris Jac. Heckel, diligentissimi Naturae scrutatoris.

Affinis praeter R. siculam praesertim R. glutinosae; sed in hac foliola sextuplo majora, serrata supra viridia, utrinque glandulosa, caulis undique hispido-aculeatus, et calycis segmenta spatulata, pinnatifida. T.

ROSA *sicula*. *T.*

R. urceolis globosis pedunculisque glabris inermibus, foliolis orbiculatis, argute duplicato-dentatis, denticulis omnibus apice glandulosis, utrinque glabris, subtus glandulosis, petiolis glanduloso-villosis, caule aculeato, aculeis subverticillatis. T.

Rosae Heckelianae simillima; sed praeter differentiam specificam allegatam, laciniae calycis pinnatifidae, spatulatae, imo apice foliaceae, stipulae acutiusculae, glanduloso-tomentosae; foliola, etsi rotunda, tamen nonnulla dente terminali mucronata, et petala alba. Fruticulus fere pedalis erectiusculus. T.

Hab. in Sicilia in summis jugis alpium Nebrodensium Madonia dictis. Legit Heckel, et communicavit sub nomine R. ferocis, cui non absimilis, sed tamen R. Heckelianae multo magis affinis et proxima. Differt a R. feroci urceolis globosis, nudis, glabris, foliolis majoribus, et aculeis pure verticillatis; a R. glutinosa autem foliolis sextuplo minoribus supra glabris, nec glandulosis, neque pilosis, urceolo glabro, et aculeis.

ROSA *fèrox. Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, pedunculis, petiolisque hispidis, caule hispido: aculeis copiosis sparsis, primariis validis curvis, basi dilatato-incrassatis, foliolis subrotundo-ovatis, subtus glanduloso-rubiginosis, grosse serratis: serraturis glanduloso-serrulatis. Bieberst.

Rosa ferox. Marsch. Bieberst. Cent. pl. rar. ross. I. t. 37. Marsch. Bieberst. Fl. taur. cauc. III. 339.

Rosa provincialis. Marsch. Bieberst. l. c. I. 396. (excl. Synon.)

Rosa horrida. Catal. hort. gorenk. a. 1812. p. 66. Besser catal. h. crem. a. 1816. p. 117.

Frutex parvus, ab imo ad summum ramis brevibus, floriferis, aculeis minutis rectis hispidus, intermixtis validis reflexis basi insigniter dilatatis, albidis. Petioli aculeati, hispidi. Folia 2—3juga, magnitudine et forma R. spinosissimae, serraturis glanduloso-serrulatis, et pagina inferiore tota pilis glanduliferis, sicut in R. rubiginosa. Pedunculi breves, hispidi. Germina globosa, hispida. Styli breves, glabriusculi. Fructus sanguinei, magnitudine R. spinosissimae. Bieberst.

Occurrit in Tauriae meridionalis saxosis. Vidi etiam specimina taurica in herb. Musaei Caes. regii et Dris. Portenschlag; sed fructus erant tantum obiter hispidi. Foliola vidi minima, vix 3—4 lineas longa, 2—3 lata, pleraque ovalia, acutiuscula, nonnulla lanceolata. Forte nimis affinis R. myriacanthae (?) Rosa ferox hortulanorum et R. ferox Lindl. no. 2. est R. rugosa. T.

ROSA *myriacàntha. Decand.*

R. calycum tubis (urceolis) globosis glabris, laciniis foliolisque glanduloso-pilosis, caule erecto, aculeis confertis rectis. De Cand.

Rosa myriacantha. Decand. Syn. fl. gall. p. 331. Ej. Fl. fr. ed. 3. no. 3698. Id. l. c. Tom. VI. p. 553. Desv. Journ. bot. Sept. 1813. var. α. Nouv. Duham. VII. p. 21. Thory prodr. p. 44. Red. Ros. III. p. 11. c. ic. Lindl. Ros. no. 34. Poir. Encycl. Suppl. IV. 710. M. B. Fl. taur. cauc. III. 337.

Rosa spinosissima. Gouan Fl. Monsp. 257. Loisel. fl. gall. I. 294.

Frutex nondum sufficienter cognitus, male antea ad seriem R. pimpinellifoliae et spinosissimae relatus, et potius Rosae feroci affinis, diversus ramis rectis, strictis, ramulis floriferis brevissimis, aculeis 2plo, 3plove majoribus, et multo magis confertis, fortioribus, rectissimis, foliolis minoribus, ceterum simillimis, floribusque minoribus pallidissime roseis. Valde dolenda est ignorantia fructus. Facies quodammodo plantae hybridae a R. spinosissima matre et patre R. rubiginosa. Nobis haec species tantopere distincta videtur, quam ulla alia. Pallasii Rosa pimpinellifolia huc minime spectat. Cell. Desvaux l. c. varietatem indicat sub nomine R. myriacantha β magna, foliis majoribus, calycibus glabris, aculeisque paucis; sed haec vix videtur esse mera hujus varietas, et, ut Thory apud Redouteum ingenue observat, saltem nomen R. myriacanthae (ab innumerabilibus aculeis derivatum) non meretur. T.

Hab. in Gallia et in Tauria.

ROSA *viminea. Lindley.*

R. urceolis ovatis, sepalis, pedunculis, petiolisque glabris inermibus; aculeis confertissimis, rectis, setaceis, inaequalibus, ramis vimineis; foliolis distantibus, oblongis, simpliciter serratis, glabris. T.

Rosa viminea. Lindl. Ros. no. 30.

Rami elongati, gracilescentes, penitus dissimiles illis R. spinosissimae (cui ex Synonimis a Lindleyo allegatis?) armati aculeis setisque confertissimis, setaceis, patentibus, strictis, inaequalibus. Folia elongata: stipulae dilatatae apice et subfalcatae: foliola 5—7, oblonga, simpliciter serrata, membranacea: pedunculi, calyx et petioli nudi: urceolus ovatus; flores magni.

Observata apud Alm. Burk. Lambertum in reliquiis herbarii Pallasiani. Patria ignota. Ad fidem schedulae, specimini adfixae, cujus vero literae vix dignoscendae sunt, videtur ex horto quodam botanico decerptum fuisse. Neque pro R. spinosissima, neque pro R. lutescente haberi potest, a quibus aculeis differt. Nec aliam Rosam nosco habitu similem. Forte degenerationem hanc locus nemorosus perfecit. Sed foliola membranacea notabiliter differunt a foliolis firmis rigidisque R. spinosissimae; quae porro aculeos solidos, nec setaceos habet. Ex Lindl.

Sine dubio planta R. myriacanthae affinis, et, si culta, florum magnitudo non impedit, quo minus pro specie in Sibiria orientali indigena eam habeamus. T.

SERIES IX.

N E E S I A N A.

Caules et foliola pruinosa, juniora livida; urceoli parvi, graciles, sphaerici. Flores parvi, aggregati, breviter pedunculati; petala saepe persistentia; fructus parvi rubri, elliptico-sphaerici.

Species: R. lurida. Andr. R. rubrifolia. Vill. R. glaucescens. Wulf.

ROSA *lùrida. Andr.*

R. germinibus (urceolis) globosis; foliis patentibus; foliolis subglaucis, ovato-acuminatis, serratis; caule glabro purpureo, pulvere violaceo tecto, aculeis paucis et recurvis; paniculis multifloris. Andrew.

Rosa lurida. Andr. Ros. fasc. 22.

Frutex luxurians, frondosus et validus. Caules raro aculeati, plerumque penitus inermes, pruinosi, flexuosi. Folia 2—3 juga, foliolis ovato-lanceolatis, acuminatis, simpliciter serratis, superne glauco-viridibus, subtus incanis, neque rubellis. Petioli aculeati, glabri; stipulae acuminatissimae et bracteae lanceolatae integerrimae, glauco-rubescentes. Cymae laterales ingentes, 60 — 80 florae, compositae ex cymis partialibus 3 — 9 floris; pedicelli breves et brevissimi ½ — 1 pollicem longi, urceoli globosi, et segmenta simplicissima rarissime hispidula, cano-livescentia, pruinosa. Flores parvi, pulcherrime rosei; petala obcordata, venosula, emarginata.

Hab. in Helvetia. Planta pulcherrima R. rubrifoliae admodum affinis, sed differt urceolis globosis, pedicellis segmentisque leviter hispidis, foliolis non rubescentibus, segmentis corolla non longioribus, cymis floridissimis lateralibus, caule fere penitus inermi. Si forte pro mera R. rubrifoliae varietate sumenda sit, certe est varietas horticulturae maxime commendanda, et planta normali multo elegantior. T.

ROSA *rubrifòlia. Vìll.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, glaucescentibus, petiolis aculeatis, caule aculeis sparsis, uncinatis, foliolis oblongis, argute serratis, glabris (glauco-rubris) floribus corymbosis. Willd.

Rosa rubrifolia. Vill. fl. delph. III. 549. Willd. Sp. pl. II. 1075. Pers. Syn. II. 32. Loisel. fl. gall. I. 296. La Peyr. hist. a. de pl. Pyren. 284. Guimpel d. Holz. I. p. 119. t. 90.

Rosa multiflora. Regn. Act. soc. Laus. I. 70. (?)

Rosa glauca. Deleuze arbr. de Desfont. II. 165.

Rosa rubicunda. Hall. fil. in Röm. Arch. II. f. 2. p. 6.

Rosa canina β. Suter Helvet. Fl. I. 302.

Frutex 5—10 pedalis, rubescens, glauco-pruinosus. Rami aculeis muniti raris, sat validis, subrecurvis. Stipulae integerrimae, glabrae; petioli parum et tenuissime aculeati. Folia 3juga, foliolis junioribus oblongis, reliquis ovatis, glabris, argute serratis, glauco-rubescentibus, acuminatis. Flores (subparvi) cymoso-paniculati in ramulis lateralibus, ab initio rubri, demum albido-viridescentes. Bracteae lanceolatae, magnae in quolibet pedicello. Laciniae calycis corolla longiores simplices, pubescenti-glandulosae. Fructus maturi subglobosi, rubri, magnitudine Cerasi minoris.

Hab. in subalpinis Hungariae, Helvetiae, Italiae, Galliae, et Hispaniae; floret ab initio Maji usque ad finem Junii. Species omnino valde distincta et elegans; R. alpinae idea ab ejusdem adspectu resuscitatur. Cum Rosis americanis, veluti blanda, hudsoniana, pensylvanica, caroliniana etc. multo plura communia habet, quam cum ulla ex europaeis. Rosa glaucescens Wulf. mihi diversa species esse videtur. Cell. Bechstein (v. Ej. Forstbot. p. 1038.) hanc ut synonimam allegat ad R. arvensem. Sed ab hac tantum differt, quantum ulla de omni gente Rosarum. T.

ROSA *glaucèscens. Wulf.*

R. urceolis globosis coloratis glabris, pedunculis brevissimis, calycisque segmentis extus spinoso-glandulosis, intus tomentosis, caule petiolisque aculeatis, foliolis ellipticis, utrinque glabris, antice inaequaliter et argute serratis. T.

Rosa glaucescens. Wulfen in Röm. Arch. III. f. 3. p. 376.

Rosa rubrifolia., Jacq. Fragm. bot. p. 70. t. 106. Lindl. Ros. no. 56.

Frutex ramosissimus 5 — 6pedalis. Aculei rari, substipulares, graciles, subrecurvi, basi dilatata, in caule infimo copiosi. tamen graciles, flavicantes. Folia 2 — 3juga, foliolis subsessilibus, rigidis, plerisque ellipticis, obtusis, aliis subrotundis, aliis denique ovatis et acutis, utrinque glabris, ad medietatem usque et ultra basi integerrimis, antice serratis, serraturis inaequalibus antrorsum versis, cuspidatis, pagina superiore sine nitore saturate virentibus, inferiore glaucescentibus et per aetatem rubescentibus. Petioli rubescentes, glabri, aculeis uncinatis armati. Stipulae longae, glabrae, tandem erubescentes, apice subserrulatae. Flores illis R. rubrifoliae simillimi, suaveolentes, cymosi, pedunculis brevissimis suffulti, qui uti et calycis segmenta, aculeis sparsis, parvis et setis glandulosis muniti sunt. Petala rubro-incarnata, basi albicantia. Stigmata brevia, albotomentosa. Fructus perfecte globosi, glabri, primum miniacei, tandem obscure rubri, vel atro-rubentes.

Hab. in valle Malnitzensi in sepibus in Carinthia. Detexit b. Wulfen. Affinis omnino R. rubrifoliae; sed differt urceolis fructibusque globosis glabris, pedunculis calycisque segmentis aculeolatis, petiolis, foliolisque glabris, et floribus brevissime pedunculatis. Descripsi secundum specimina Wulfeniana. Serius tandem observavi R. rubrifoliam ill. Jacquini esse penitus a R. rubrifolia Villarsii diversam et omnibus notis cum R. glaucescente Wulf. convenire. Ergo etiam in Austria non habitat R rubrifolia, sed R. glaucescens. Alia est R. glaucescens Merat, Paris. 192. quae R. caninae affinis, ceterum mihi penitus ignota. T.

SERIES X.

WILLDENOWIANA.

Aculei validi uncinati, foliola sempervirentia, glabra; flores corymbosi vel cymosi; frutices scandentes. Fructus parvi. Styli in columellam coaliti, persistentes.

Species: R. moschata. Ait. R. Brownii. T. R. sempervirens L. R Broteri. T. R. abyssinica. Brown. R. fraxinellaefolia. Andr. R. Polliniana. Spreng. R. humifusa. T. R. arvensis. L.

ROSA *moschàta. Ait.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque villosis, caule petiolisque aculeatis, foliolis oblongis, acuminatis, glabris, paniculis multifloris. Ait.

Rosa moschata. Ait. h. k. ed. 1. II. 207. Ej. ed. 2. III. 264. Willd. Sp. pl. II. 1074. Pers. Syn. II. 49. Desfont. flor. Atlant. I. p. 400. La Peyrouse fl. d. Pyren. p. 284. Dec. Fl. fr. IV. 447. et VI. 537. Loisel. fl. gall. I. 296. Miss. Lawr. Ros. t. 53 et 64. Jacq. hort. Schoenbr. III. p. 16. t. 280. Ej. fragm. bot. p. 31. t. 34. f. 3. Red. Ros. I. pag. 33 et 99. c. ic. Lindl. Ros. no. 68.

Rosa Opostemma. Ehrb. Beitr. II. 72.

Rosa sempervirens. Du Pont Choix de Roses etc. p. 5.

Frutex 3—6pedalis, quandoque scandens, imo arbor 30-pedalis et ultra. Aculei sparsi, sat validi, plerique uncinati; petioli aculeati, aculeis rectis; folia 3-juga; foliolis oblongis, ovatis, simpliciter serratis, supra lucidis, subtus subtomentosis. Flores paniculati, albi, vel parca rubedine suffusi, in regionibus calidis fragrantissimi; pedunculi glanduloso-hispidi. Urceolus oblongus, pyriformis, tenuissime pubescens. Laciniarum calycis 2 integrae, 3 pinnatifidae, corolla paullo breviores. Styli villosi, in columellam altitudine staminum coaliti. Fructus parvus, pyriformis, coccineus.

Hab. in Barbaria, Gallia et Hispania. Variat floribus magis minusve plenis; petalis in centro flavicantibus; denique floribus roseis; (v. Red. Ros. T. I. p. 100.). Colitur in toto oriente, et ex India orientali propagata fuisse videtur. Paratur oleum essentiale odoratissimum, in regno Kachemyr A'THER dictum; de quo legatur Red. Ros l. c. p. 99—100. Maxime affinis est R. sempervirens.

ROSA *Bròwnii. T.*

R. urceolis ellipticis, sepalis pedunculisque glanduloso-villosis; petiolis villosis, aculeatis; stipulis foliolisque utrinque villosis; aculeis caulinis uncinatis. T.

Rosa Brunonii. Lindl. Ros. no. 67. t. 14.

Frutex habitu R. moschatae. Caulis principalis validus, sparse pilosus, armatus aculeis sparsis, brevibus, rigidis, uncinatis; ramuli tomentosi et glandulosi, aculeis multo teneriorib us, purpureis, falcatis. Stipulae lineares, adnatae, apice subulatae, subtus glandulosae. Foliola subaequalia, subremota (5—7 in folio pinnato) lanceolata, plana, simpliciter serrata, supra pilosa, opaca, subtus pallidiora, glandulosa; serraturis convergentibus. Flores corymbosi. Bracteae strictae, lanceolatae, tomentosae, convolutae, dorso glandulosae; pedunculi villosi, fuscescentes, setis glandulisque cooperti; urceoli his magis abundant, minus sepalae reflexae, quae corolla longiores (? in icone breviores!) integerrimae; petala alba (cum? — tamen ita picta exhibetur! — sed nullum dubium existere potest!) stamina et styli ut in R. moschata.

Hab. in Nepalia, unde missa a Dre. Wallich: ibidem etiam a Dre. Buchanan inventa et Lamberto missa. Differt a R. moschata villositate et forma foliolorum. A Roxbourgio R. pubescens vocata fuit. Lindleus hanc in honorem celleberrimi doctissimique Roberti Brown, Australasiae indagatoris, Rosarumque scrutatoris primarii Rosam Brunonii nominavit. Sed tanta nominis mutilatio eo minus approbari potest,, cum Bruno sit penitus aliud nomen, et ex analogia generis Browneae nomen triviale confirmetur. T.

ROSA *sempervirens. L.*

R. urceolis subglobosis, segmentis integerrimis pedunculisque glanduloso-hispidis, aculeis sparsis recurvis, foliolis utrinque glabris, lucidis, sempervirentibus, floribus cymosis, petalis profunde emarginatis, stylis in columellam prominulam, tomentosam coalitis. T.

Rosa sempervirens. Linn. Sp. pl. 704. Willd. Sp. pl. II. 1072. Ait. h. k. ed. 2. III. 263. Red. Ros. II. 15. c. ic. Andr. Ros. fasc. 18. Miss. Lawr. Ros. t. 45. Pers. Syn. II. 49. Wulfen in Röm. Arch. III. fasc. 3. p. 374. Lindl. Ros. no. 64. Edw. Bot. Regist. no. 465.

Rosa balearica. Desf. Cat. hort. Par. Persoon l. c. Dum. Cours. Bot. Cultiv. III. p. 352.

Rosa atrovirens. Viv. Fragm. Fl. Ital. p. 4. t. 6. Vulg. Rosa de Mahon.

Frutex scandens 3—15 pedalis et ultra. Aculei ramorum sat validi compressi, sparsi, plerique uncinati, rubri, saepe stipulares. Rami steriles cum foliis purpurascentes. Folia 1—2—3 juga, foliolis ½—1½ uncialibus, durioribus, utrinque lucidis, forma variis, oblongo-lanceolatis, ovatis, et subrotundis, aliis acuminatis, aliis obtusissimis, tenuiter simpliciterque serratis, serraturis cuspidatis. Flores raro solitarii, plerumque cymosi, albi, mediocres, odorati, bracteati, longe pedunculati. Segmenta corolla breviora, lanceolata, rarius prolongata, intus villosa, glanduloso-ciliata. Fructus globosi, magnitudine Cerasi minoris, sanguinei, nitidi, glanduloso-hispidi, calyce deciduo, stylorum columella saepe persistente.

Hab. in Germania australi, Gallia et Italia. Petala drastica in Italia adhibentur in usum medicum. Maxime affinis R. moschatae. Noli confundere cum R. sempervirente Du Pont, quae R. moschata, neque cum illa Bastardii et Raui, quae R. Raui T. et R. balticae affinis est, tandem cum R. sempervirente Rothii, quae R. umbellata est. Respectu stylorum R. brevistyla et leucantha analogae sunt. R. sempervirens β, microphylla Lindl. forte R. Polliniana est (?) T.

ROSA *Brotèri. T.*

R. urceolis ellipticis glabris, segmentis calycinis 3 pinnatifidis, 2 integris extus pubescentibus, intus et margine tomentosis; foliolis maximis obovatis, simpliciter serratis, petalis rotundatis, stylis coalitis columella prominulis. T.

Rosa scandens. Broter. Fl. lus. II. 341.

Rosa sempervirens latifolia. Red. Ros. II. p. 49. c. ic.

Frutex scandens 30-pedalis et ultra. Ramuli flaccidi, armati aculeis paucis, brevibus, rectis, validis, purpurascentibus, ceterum glabri. Folia alterna 2—3juga, foliolis 2—3 pollicaribus, latis, obovatis, basi rotundatis, vel cordatis, apice acuminatis, simpliciter et argute serratis, utrinque glabris, lucidis, petiolis aculeis setisque glanduliferis sparsis munitis, stipulis linearibus, apice divaricatis, et glanduloso-serrulatis, acuminatis. Flores cymosi, longe pedunculati, magni; pedunculi hispido-glandulosi, subnutantes, centrali excepto, bibracteati. Urceoli plerumque glabri, elliptici; petala speciosa, rotundata, alba, quandoque extus roseo vittata. Fructus nondum descripti.

Hab. in Italia. Affinis R. sempervirenti, a qua tamen praecipue, urceolis glabris, segmentis 3 pinnatifidis, et petalis differt. Si R. Polliniana (et quis dubitet?) distincta species est, etiam R. Broteri a sempervirente specie discernere oportet. T.

ROSA *abyssinica. Brown.*

R. urceolis ovalibus, pedunculisque cymosis tomentosis, petiolis glanduloso - hispidis, subtus ferociter aculeatis; foliolis obovatis, sempervirentibus; aculeis confertis recurvis, caule scandente. T.

Rosa abyssinica. Br. in Salt's Abyssin. app. 64. Lindl. Ros. no. 63. t. 13.

Caulis scandens, fruticosus; rami armati aculeis numerosissimis, sat validis, plerisque recurvis, rubris. Folia 2 — 3 juga, laxa; petioli scabri setis glandulisque inaequalibus, graciles, recurvi, subtus multis aculeolis rubris, partim recurvis muniti; stipulae perangustae, adnatae, apicibus cuspidatis, distantibus; foliola distantia, aequalia, parva, basi attenuata, apice obtusa, simpliciter serrata, sempervirentia. Flores terminales, cymosi, non magni. Pedunculi inermes, et calyces insigniter tomentosi. Bracteae parvae, lineares, coloratae, saepius recurvae ad subdivisiones pedunculorum. Calycis laciniae integerrimae, subcoloratae, concavae acuminatae. Corolla calyce 2—3plo major; petala nivea leviter emarginata. T.

Cetera ignorantur. A peregrinatore Salt detecta in Abyssinia. Proxima R. Pollinianae.

ROSA *fraxinèllaefolia. Andr.*

R. caule glabro, subinermi: germinibus oblongis, pedunculis glabris: petiolis aculeatis: foliolis asperis, oblongis, angustis, acutis, serratis: floribus odoratis, albis: petalis interioribus parvis, flexuosis. Andr.

Rosa fraxinellaefolia. Andr. Ros. f. 33.

Haec species e Gallia delata, in Anglia non nisi floribus plenis habetur. Patria ignoratur. Flores nivei, umbellati non magni, fere ranunculacei. Affinis sine dubio R. sempervirenti, sed foliola angustiora, scabra; caulis subinermis, pedunculi et urceoli glabri! Sepala integerrima corolla fere longiora, reflexa: stipulae angustissimae, cuspidatae. Floret primo vere, odoratissima. Cetera desiderantur. Nomen triviale a Dictamno albo derivatum, qui in pharmacopoliis plerisque Fraxinella vocatur. T.

ROSA *Pollinìàna. Spreng.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis, pedunculisque hispido-glandulosis; petiolis aculeato-glandulosis; foliolis ovato-subrotundis, utrinque glabris, serratis; dentibus glanduloso-serrulatis, trunco aculeato. Pollini.

Rosa Polliniana. Spreng. plant. min. cogn. pug. 2. p. 66. Poiret Encycl. Suppl. IV. p. 715. Lindl. Ros. no. 83.

Frutex 4—6pedalis, aculeatus, aculeis uncinatis. Rami hispidi, rubescentes, paniculati. Flores terminales, terni et ultra. Petioli hispidissimi et glandulosi. Foliola 3, 5, ovali-rotundata, obtusiuscula, supra lucida, subtus pallidiora. Serraturae glanduloso-denticulatae. Stipulae ciliato-glandulosae. Bracteae lanceolatae, amplexicaules, rubidae, subtus glandulosae, saepius oppositae, tertia inferiore majore; pedunculi rubescentes, hispidi, glandulosi; laciniae calycis pinnatifidae. Flores magni, purpurei, leviter odorati; petalis ovalibus, rotundatis. Styli liberi. Fructus ovato-globosi.

Hab. ad pedem montis Baldo, ubi detexit Pollini. Affinis dicitur R. sempervirenti. Character observandus R. lutescentis P. in petalis! Styli liberi aliam affinitatem indigitare videntur!

Lindleyus interrogat: an forte sit mera R. rubiginosae varietas?

ROSA *humifùsa*. T.

R. urceolis globosis, segmentisque lanceolatis, brevibus, integerrimis appendiculatisve glabris, pedunculis subhispidis, foliolis subrotundo-ovatis, acutis, serratis, discoloribus utrinque pictis, glabris, caulibus diffusis procumbentibus, aculeatis. T.

Rosa canina variegata. Andr. Ros. fasc. 12.

Frutex nanus, caulibus procumbentibus, ramulis vix semipedem altis. Aculei sparsi a basi usque ad extremitates, graciles, subrecurvi, basi parum dilatati, purpurei. Petioli aculeati; stipulae minimae, lineares apice divergentes. Foliola glabra, maxima semipollicaria, 7—5—3na, terminalibus ovatis, lateralibus subrotundis, acutis, serrato-dentatis, utraque pagina pulcherrime picta, supra obscure viridia, subtus glaucescentia, maculis dilutioribus. Flores gemelli, vel terni, umbellati, terminales, parvi, nivei, simplices. Pedunculi sat longi, intermedio breviore et crassiore, tenuissime glanduloso-hispidi, ebracteati, adjectis tamen ad basin foliis ternatis. Styli in columellam tenerrimam, prominulam coaliti. T.

Patria ignota. Minime varietas R. caninae et potius ad seriem R. moschatae pertinet, affinis R. sempervirenti. An R. prostrata De Cand. hort. Monsp. 138. suppl. 536. hujus forte Synonimon? Tunc patria foret Gallia australis. T.

ROSA *arvènsis. L.*

R. urceolis subglobosis glabris, pedunculis subglandulosis; aculeis caulinis petiolorumque rectis aliisque aduncis, floribus subcymosis, calycibus integris corolla minoribus, stylis coadunatis. T.

Rosa arvensis. Linn. Mant. 245. Willd. Sp. pl. II. 1066. Smith Fl. britt. II. 538. Ait. H. k. ed. 2. III. 259. Bot. Mag. 2054. Woods in Linn. Trans. XII. no. 26. et in Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 149. Guimpel deutsch. Holz. I. p. 126. t. 95. Red. Ros. I. p. 89. c. ic. Lindl. Ros. no. 62. Hoocker Fl. Lond. new. ser. II. f. 21.

Rosa repens. Scop. fl. Carn. 610. Jacq. fragm. bot. p. 69. t. 104. Rau En. p. 40. Willd. Enum. I. 547.

Rosa serpens. Wibel fl. Werthem. p. 265.

Rosa sylvestris. Schrank Baier. Fl. II. 35. Roth Catalecta I. p. 59. Röm. Arch. I. f. 1. p. 33.

Rosa Herporhodon. Ehrh. Beitr. II. 71.

Frutex ramis flagelliformibus, longissimis procumbentibus, ramulis floriferis erectis, infirmis, aculeis validis sparsis, modo hinc inde aggregatis armatis. Petioli rarius aculeati; stipulae supremae, omissis foliolis, vix mutatae abeunt in bracteas. Foliola elliptica, dentato-serrata, plerumque utraque pagina glaberrima. Flores albi, vel etiam paucissima rubedine suffusi, magni, cymosi, 4 — 15, nonnunquam et solitarii; pedunculi plerumque glandulosi. Urceolus ab initio clavatus, demum subglobosus. Laciniae parvae, integrae vel pinnatifidae, nunc hirtae, nunc glandulosae; styli in columellam glabram, persistentem porrecti. Fructus ellipticus, imo oblongus, in pedunculis solitariis plerumque globosus, sanguineus.

Hab. in Austria, Germania, Anglia etc. R. arvensis Roth fl. Germ. II. 554. est R. platyphylla. Rau. Cell. Rau negat, hanc esse R. arvensem Linnei; insufficiente definitione deceptus. Ill. Pr. Schultes a Willdenowio seductus in fl. Austr. distinguit R. repentem a R. arvensi. R. arvensis globosa et ovata ne quidem varietates dici merentur in eodem individuo conspicuae. E contrario cell. Lindley cum R. arvensi R. montanam et geminatam specie conjungit. T.

ROSA *arvensis Candolleana.*

Distinguitur flagellis rarius aculeatis, aculeis minus incurvis; foliolis glabris, nudis, nitidis, rigidiusculis sempervirentibus; floribus subsolitariis; pedunculis glanduloso-hispidis; segmentis calycinis integerrimis; urceolis oblongis.

Haec est R. prostrata De Cand. in fl. fr. VI. 536. forte plus quam varietas, forte hybrida de R. arvensi atque sempervirenti? v. R. humifusa!

SERIES XI.

REDOUTEANA.

Stipulae fimbriatae; caules villosi; aculei stipulares. Flores solitarii; pedunculi involucrati.

Species: R. clinophylla Thory.

ROSA *clinophylla. Thory.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, caule pedunculisque sericeo-villosis; petiolis glandulosis, villosis, subaculeatis; stipulis fimbriatis; foliolis 9—11 oblongo-ellipticis, duplicato-serratis, supra lucidis, subtus tomentosis; aculeis caulinis rectis, geminatis. Thory.

Rosa clynophylla. Red. Ros. I. p. 43. Lindl. Ros. no. 87.

Caulis fruticosus, sarmentaceus sericeo-villosus; rami villosi; aculei stipulares, teneri, gemini; folia propendentia; foliola oblongo-elliptica, duplicato-serrata, subtus villosa; petioli subaculeati; stipulae lineares, fimbriatae et fere plumaceae. Flores albi solitarii, brevissime pedunculati, bracteis involucrati; germen subglobosum, villosum; laciniae calycis indivisae, acuminatae, sericeo-villosae. Fructus immaturus globosus.

Patria ignoratur; suspicor Americam septentrionalem. Hieme tepidarium reposcit, et semperviret. An igitur incola regionis calidae?

Denominatio speciei derivata α κλινω deflecto, pendeo et φυλλον folium; quia foliola propendent.

SERIES XII.

DÉSVAUXIANA.

Aculei longissimi, recti, sparsi; segmenta calycis pinnatifida; foliola duplicato-serrata.

Species: R. spinulifolia. Demat. R. acicularis. Lindl. R. foetida. Bast. R. glandulosa. Bellard. R. Pouzini. T.

ROSA *spinulifòlia. Demat.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque spinosis; calycibus pinnatis, pinnis linearibus; petiolis villosis aculeatis; foliolis supra glabris infra spinosulis. Dematra.

Rosa spinulifolia. Dem. Essay. p. 8.

Rosa spinulifolia Dematratiana. Thory. Prodr. p. 115. fig. 1. Id. ap. Red. in Ros. III. p. 8. Red. Ros l. c. p. 7. c. ic.

Frutex 3—4pedalis, ramosus. Rami stricti, fusci, aculeis rectis, solitariis vel geminatis, etiam ternatis armati. Folia 2—3 juga, foliolis orbiculato-ovalibus, supra glabris, subtus, ad nervos et venas, spinulis glandulisque obsitis, profunde subduplicato-serratis, serraturis ciliato-glandulosis. Petioli tomentosi, aculeolati. Stipulae acuminatae, supra glabrae, subtus villosulae, margine glandulosae. Pedunculi terminales, solitarii, glanduloso-hirsuti. Urceolus oviformis, glanduloso-setosus, setis subreflexis. Laciniae calycis glandulis sessilibus praeditae, intus margineque albo-tomentosae, appendiculatae, appendicibus linearibus. Petala obcordata, pallide rosea. Fructus oviformis, hispidus, phoeniceo-purpureus: maturus nigrescit. Thy.

Hab. in Helvetia, detecta a parocho Dematra. Thory l. c. habet duas varietates; R. spinulifoliam Dematratianam, et R. spin. Foxianam. Posteriorem, quae in Belgia habitat, ita definit: R. germinibus globosis; foliolis oblongo-ovalibus, subtus dense spinosulis glandulosisque; caule aculeis subrectis. Hanc puto esse distinctam speciem. Sed aliis describendam relinquo, quibus occasio favebit, eandem cum R. spinulifolia Dematratiana comparandi. T.

ROSA *àciculàris. Lindley.*

R. urceolis ellipticis glabris, sepalis perangustis corolla longioribus, incisis, pedunculis petiolisque pubescentibus; aculeis acicularibus sparsis; foliolis fere glabris, dentatis, subtus glaucis; fructibus obovatis. T.

Rosa acicularis. Lindl. Ros. no. 27. t. 8.

Frutex 7 — 8pedalis, frondosus. Rami erecti, aculeis inaequalibus, gracilibus, strictis, setisque debilibus sparsis armati. Folia crassa, opaca, glaucescentia; stipulae angustae, glabrae, glandulis ciliatae, apice parum dilatatae; petioli inermes, pubescentes, debiles, elongati; foliola, 3—7, tenera, ovata et ovalia, convexiuscula, subrugosa, simpliciter serrata, dentibus divergentibus, fere glabra, subtus caesia. Flores subsolitarii, pallide rosei, fragrantes; bracteae ovatae, concavae, dilatatae, glabrae, pedunculo inermi breviores; urceolus ellipticus, nudus; sepala perangusta subincisa, pilosa, urceolo triplo longiora: petala obovata, concava, leviter emarginata, sepalis breviora; discus majusculus, convexiusculus; styli pilosi, distincti. Fructus obovatus, collo coarctatus, aurantiaco-ruber, nudus, obliquus, sepalis persistentibus, complicatis basi incrassatis coronatus.

Hab. in Sibiria; detecta a Dno. Bell, colitur in horto Dni. Sabini in Anglia. Affinis R. spinulifoliae. Prae ceteris vernat, et tum notabilis colore flavo foliorum juvenilium.

ROSA *fòetida. Bast.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis, pedunculisque hispidis, petiolis aculeatis; aculeis sparsis, subrectis; foliolis ovato-acutis, subtus pubescentibus. Bast.

Rosa foetida. Bast. Suppl. à la Fl. de M. et L. p. 29. De Cand. Fl. fr. VI. 534. Red. Ros. I. p. 131. c. ic.

Frutex 5—6 pedalis. Rami glabri, armati aculeis longis, fere rectis, raris rubris, ad stipulas subgeminatis. Folia 2—4 juga, foliolis, subtus pubescentibus, basi integerrimis, antice duplicato-serratis; petioli villosi, glandulosi. Stipulae glandulosae, diaphanae. Flores solitarii, fere inodori, magnitudine mediocres, rosei. Urceolus parvus; laciniae calycis subpinnatifidae, hispidae et glandulosae. Styli liberi, breves, subvillosi. Fructus ovati, communiter hispidi, raro glabri, e rubro-aurantii, insigniter foetidi praesertim si digitis triturentur. Media quodammodo inter R. collinam et tomentosam.

Admodum rara ad ripas Ligeris fluvii (Loire) in Gallia.

ROSA *Pouzini.* T.

R. urceolis ovato-oblongis glabris, pedunculis solitariis hispidis, foliolis ovalibus, glaberrimis, argute, duplicato-serratis, denticulis apice glandulosis, petiolis aculeatis, aculeis caulinis aduncis. T.

Rosa micrantha. D. C. Fl. fr. VI. 539. Poiret Enc. Suppl. IV. 714.

Frutex persimilis R. glandulosae; sed certe distincta species urceolis glabris et aculeis apice uncinatis. Similes aculei, sed multo minores observantur in petiolis subglandulosis, et nonnunquam etiam in nervo principali folioli terminalis; foliola parva, margine argute serrata, serraturis iterum serrulatis, denticulis omnibus apice glandulosis. Laciniae calycis pinnatifidae, reflexae, margine glandulosae; flores solitarii, parvi, pallide rosei.

Hab. in locis lapidosis ad pedem montis Saint-Loup prope Montpellier, ubi illam Rosam detexit Dns. Pouzin, cujus nomen speciei tributum fuit, cum jam existat alia species, quae R. micrantha vocatur.

ROSA *rugòsa. Thunb.*

R. urceolis globosis, calycis laciniis pedicellisque glabris, caule pedunculisque aculeatissimis, petiolis aculeatis, foliolis mollibus rugosis, ellipticis, acuminatis, floribus, fructibusque omnium maximis. T.

Rosa rugosa. Thunb. jap. 215, Willd. Sp. pl. IV. 1070. Pers. Syn. II. p. 48. Poiret Encycl. VI. 295. Dietr. Lexic. VIII. 247. Lindley Ros. p. 5. no. 3.

Rosa kamtschatica. Redout. Ros. I. p. 47. c. ic. exclusis Synon.

Rosa ferox. (hortulanorum!) Andrews Roses. fasc. 22. Lindley Ros. p. 3. no. 2.

Frutex 3pedalis et ultra. Rami teretes, subtomentosi, aculeati, aculeis majoribus minoribusque densissimis patentibus, albis. Folia pinnata, quadrijuga; foliola elliptico-ovata, obtusa cum acumine, inaequaliter serrata, supra viridia rugosa, subtus molliter tomentosa, venosa, canescentia, pollicaria, sub cultura bipollicaria et ultra. Petioli tomentosi aculeati, aculeis uncinatis albidis. Stipulae lanceolatae, serrulatae, margine glandulosae, rubedine quadam suffusae; superiores in bracteas abeuntes saepe oppositae, magis rubentes, aculeis in pedunculo terminum abrupte sistentes. Pedunculi rubescentes, super bracteas nudi et glabri plerumque solitarii, rarius gemini. Urceoli glabri. Calycis laciniae intus tomentosae, extus pubescentes. Flores maximi, odoratissimi, intense purpurei, more Papaveris rugosi. Fructus ceraso majores, coccinei, calyce coronati, glaberrimi.

Hab. in Japonia. Species distinctissima. Mirum sane, quod cell. Redoutée, qui ipse R. Kamtschaticam pro def. Ventenatio pinxerat, praesentem cum illa pro eadem habere potuerit, a qua tantopere differt! Ipse Andrew, cujus iconem Thory l. c. egregiam laudat, jam fatetur, se tantum in gratiam hortulanorum suam Rosam — ferocem appellare, sed descriptionem R. rugosae huic exacte convenire. Hic error inde venisse videtur, quod clar. M. a Bieberstein ipse ad suam R. ferocem falsum Synonimon Lawrentiae adduxerat. — Noli confundere cum R. rugosa Dematr.! T.

SERIES XIV.

HOPPEANA.

Caulis aculeatissimus, aculeis rectis longis; foliola subtus tomentosa; fructus globosi, maximi.

Species: R. rugosa. Thunb.

ROSA *revèrsa.* *W. K.*

R urceolis ovatis, pedunculisque hispidis, floribus lateralibus, solitariis, caulibus hispido-aculeatis, aculeis setaceis, reversis fructibus ovatis hispidissimis. T.

Rosa reversa. Waldst. Kitaib. Rar. Hung. III. p. 293. t. 264. Dietr. Lex. Nachtr. VII. 256. Poiret Enc. Suppl. IV. 716. Schult. Oest. Fl. ed. 2. II. 71. Lindl. Ros. no. 36.

Frutex 2—5pedalis; caules plerique recti, aculeis subulato-setaceis, fusco-rufis, reversis, densissime obsiti; ramulis floriferis lateralibus, laxis brevibus, multo rarius hispidis. Folia 3juga, foliolis ovatis, acutis, aliis ellipticis et obtusis (subparvis) duplicato-argute-serratis, supra nudis, subtus pubescentibus. Petioli raris setis glanduliferis muniti purpurascentes. Stipulae lanceolatae, glanduloso-serrulatae. Pedunculi brevissimi, plerumque solitarii, in culta gemini, ternique. Glandulae omnes ut et setae juniores purpurei. Calycis laciniae simplices, raro appendiculatae, corolla breviores, apice subulatae, intus et margine albo tomentosae, extus virides. Corolla mediocris, pallidissime rosea, petalis obcordatis concavis. Styli liberi villosi. (Germina in apice receptaculi!) Fructus magnitudine R. caninae vel major, e purpureo niger, nitidus, setis rigidiusculis hispidus. T.

Hab. in saxosis montium Matrae in Hungaria! Colui per multos annos. Videtur quasi hybrida ex R. alpina et spinosissima. T.

SERIES XIII.

KITAIBELIANA.

Hispido - aculeatissima aculeis reversis; segmenta subpinnatifida; germina in apice receptaculi.

Species: R. reversa. W. K.

ROSA ***altàica. Willd.***

R. urceolis globosis, pedunculisque glabris, caule aculeatissimo, aculeis subsetaceis maxime inaequalibus, rectis, petiolis aculeatis, foliis 3—4 jugis foliolis subrotundo-ellipticis, inaequaliter serratis, basi integerrimis, rigidiusculis, utrinque glaberrimis. T.

Rosa altaica. Willd. in Enum. h. ber. I. 543.

Rosa pimpinellifolia. Pall. fl. ross. II. 62. t. 24. Bieberst. fl. taur. cauc. III. 335.

Rosa pimpinellifolia ε. Nouv. Duham. VII. 2. Thory in Red. Ros. I. 84.

Differt a R. pimpinellifolia caule duplo altiore, foliis majoribus, floribus albis, petiolis semper aculeatis. Willd. l. c. Cave ne cum hac confundas R. oxyacantham, ejusque varietates! Clariss. Marschall a Bieberstein R. altaicam pro vera R. pimpinellifolia, nostram vero pro R. spinosissimae varietate declarat, opinio, quae, quamquam nondum penitus demonstrata, tamen multum verosimilitudinis praesefert; etenim in nostra R. spinosissima foliola valde anomala sunt, et flores perfecte conveniunt. T. Foliola in icone Pallasii certe non minora sunt quam in R. pimpinellifolia vulgari.

Hab. in alpibus altaicis. ♉.

ROSA *spinosissima mitis.*

Distinguitur caule humiliori, ramulis junioribus nigro - fuscescentibus, aculeis setaceis multoties minoribus nigricantibus, foliolis paullo majoribus, ellipticis, apice rotundatis, versus basim insigniter decrescentibus; petiolis subinermibus; stipulis minutissimis; pedunculis glabris, urceolis fructibusque perfecte globosis, nec collo constrictis, neque elliptico-sphaericis, corollis niveis. T.

Haec est R. spinosissima Guimpelii in Ejusd. deutsch. Holzart. I. p. 115. t. 87. de qua dicit, eam habitare in Germania et Helvetia. Vix mera varietas; et satius observanda, an differentiae allegatae constantiores et universales sint nec ne?

ROSA *spinosissima. Jacq.*

R. urceolo turbinato-globoso, pedunculis glabris, hispidisve, foliolis ovatis inermibus, glabris, argute subduplicato-serratis, subtus pallidioribus, ramis junioribus aculeatissimis, ramulis hispido-aculeatis, fructibus demum atris. T.

Rosa spinosissima. Jacq. Enumer. vind. p. 89. Ejusd. Fragm. bot. p. 79. t. 124. Schultes Oest. Fl. ed. 2. II. 68.

Frutex 2 — 4pedalis, ramosus, diffusus. Caules juniores cinereo-purpurascentes, aculeatissimi, seniores nigrescentes, inermes. Ramuli novelli et virides, fere omnes summitate uniflori, raro biflori. Aculei ex basi lata, ovali oriuntur, horizontales, subulati, rectiusculi, pungentes, numerosissimi, ferruginei, inaequales. Folia 3 — 5juga, foliolis subaequalibus brevissime petiolatis, inermibus, glabris, oblongo-ovatis, obovatis, spatulatis, truncatisve, raro acutis, argute serratis, plus minus semiuncialibus. Stipulae margine subserrulatae, glandulis pedicellatis ciliatae. Petioli plus minus aculeati, vel glanduloso-hispidi. Pedunculi terminales, solitarii, uniflori, unciales, centematosi, in cultis saepe glabri. Urceolus subglobosus, glaber; calycis laciniae integerrimae, glabrae, virides, corolla multo breviores. Flores maximi, ex albo flavicantes, seriores saepe penitus albi, mel redolentes. Fructus globosi, vel et ovales, et obovati, glabri nitidi, initio purpurei, demum atri, collo constricti. T.

Hab. in Austria ad vinearum margines, praecipue circa Claustroneoburgum. A R. altaica differt tantum caule cinerascente-purpureo, aculeis ferrugineis, foliolis plerisque oblongis, stipulis triplo majoribus, et urceolis fructibusque basi in pedunculum attenuatis. Haec nostra non est R. spinosissima Linnei, sed Jacquini. R. spinosissima Linnei est R. cinnamomea. (vid. Observ. ad R. pimpinellifoliam. Jahrb. d. Gew. I. fasc. 2. p. 90.) neque Marsch. Bieb. Rosa spinosissima nostram adaequare videtur. Innumera cell. Raui, Woodsii, Lindleyi aliorumque Synonima confundunt R. spinosissimam, pimpinellifoliam, altaicam, borealem, oxyacantham et forte adhuc alias, quae tamen ut species ab aliis distinctae caute observari merentur. T.

SERIES XV.

WOODSIANA.

Spinoso-hispidissimae; foliola parva, simpliciter serrata, glabra, eglandulosa.

Species: R. spinosissima. Jacq. R. altaica. Willd. R. pallida. T. R. lutescens. Pursh. R. Kamtschatica. Vent. R. versicolor. T. R. Candolleana. Thory. R. casta. T. R. parvifolia. T. R. Besseri. T. R. pimpinellifolia. L. R. Oederiana. T. R. suavis. Willd. R. stricta. Lindl. R. Ventenatiana. Thy. R. rubella. Smith. R. oxyacantha. Bieberst. R. borealis. T.

117. S. II. 15.

ROSA *pàllida. T.*

R. urceolis globosis, segmentis calycinis, pedunculisque glabris, caule hispido, foliolis ellipticis discoloribus, inaequaliter, argute serratis, floribus subsolitariis, pallidis. T.

Rosa hispida. Sims in Bot. Mag. no. 1570.

Rosa Candolleana γ flavescens. Thory in Red. Ros. II. p. 46.

Rosa ochroleuca. Wikström N. A. of Rosa. no. 1. t. 3. fig. 1. Hayne Dendr. Fl. v. Berl. p. 97.

Rosa spinosissima luteola. Andr. Ros. fasc. 39.

Frutex 4—5pedalis, erectus. Caules sat fortes, undique hispidi aculeolis brevibus vix laedentibus. Urceolus globosus et calycis segmenta integerrima, attenuata, corolla dimidio breviora, colorata. Pedunculi 1—2 glaberrimi. Stipulae lineares, parvae, apicibus tenuissime glanduloso-serrulatae. Petioli, et nonnunquam etiam foliolorum costae principales uno alterove aculeolo muniti. Folia 3—4juga, foliolis parvis ellipticis, vel obovatis, obtusis, raro acutis, glabris, subtus glaucescentibus, undique argute, et inaequaliter serratis, junioribus nonnunquam fusco-marginatis. Flores magni, solitarii vel gemini, sat longe pedunculati, ab initio lutei, expansi tandem pallidi, petalis obcordatis, venosis, leviter emarginatis. Fructus ad Andrewsii iconem magnus, conicus, fusco-niger, calyce coronatus, maximus.

Patria incerta, Sims putat Siberiam, et quoad multas relationes R. Kamtschaticae affinem existimat. Certe R. altaicae et Candolleanae magis affinis quam ullae aliae. Interea tantum differt, quantum omnes reliquae species de serie R. pimpinellifoliae et spinosissimae. An forte huc etiam spectat R. flava Wikström, quam non nisi de nomine ex Diario bot. Flora dicto, a. 4. II. p. 618. nosco? R. Eglanteria luteola in Red. Ros. T. III. ad pag. 19. quoad iconem omnino huc referenda, non quoad descriptionem, quae ex praesumtione corrupta videtur, et iconi penitus contradicit. T.

ROSA *lutèscens. Pursh.*

R. germinibus (urceolis) globosis pedunculisque glabris, ramulis hispido-spinosis, foliolis septem glabris ovalibus acuminato-serratis, petiolis inermibus, floribus solitariis, laciniis calycis lanceolatis cuspidatis, petalis ovalibus obtusissimis. Pursh.

Rosa lutescens. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. II. Suppl. p. 735. Lindl. Ros. no. 29. t. 9.

Hab. in Carolina. ♉. floret Majo et Junio. Flores albi, in flavum ludentes. Pursh.

Videtur affinis R. Redouteae, a qua tamen urceolo et petalis differt. Cell. Lindley hanc cum R. hispida Sims (R. pallida nobis!) pro una eademque declarat. Sed dubium contra hanc assertionem jam inde oriri debet, quod figuram in Simsii Bot. Mag. no. 1570 (respectu R. lutescentis!) malam declarat: nam utique icon R. pallidae non potest aequalis esse alienae speciei, R. scilicet lutescenti. Porro R. lutescens species americana est, R. pallida vero sibirica. Ceterum foliola R. lutescentis elliptico-oblonga, subaequalia, obtusa, et serraturae majores, subdistantes, petioli inermes, stipulae convolutae, ramuli tenuissime hispidi, et petala integerrima, obovata sunt. Fructus magnus, niger, globosus, in pedunculum attenuatus, calyce persistenti coronatus. In multis convenit cum R. spinosissima miti. T.

ROSA *kamtschàtica. Vent.*

R. fructibus globosis pedunculisque glabris, caule aculeatissimo hirsuto, petiolis subinermibus, foliolis obovatis. Ventenat.

Rosa kamtschatica. Vent. in Plant. d. Cels. no 67. Ait. h. k. ed. 2. III. 259. Lindl. Ros. no. 4.

Frutex ramosissimus, spinosissimus, hirsutus; aculei recti, cinerei, inaequales, glanduliferi; folia quadrijuga, petiolis rarissime et tenuissime spinulosis. Foliola discoloria, subspatulata, basi integerrima, apice dentata, truncata. Stipulae involventes, pedunculi glabri, purpurascentes, breves; flores saturate rosei, suaveolentes; urceolus glaber, globosus, laciniae cal. integerrimae, lineares, medio angustatae, corollam excedentes. Fructus magnitudine et colore cerasi.

Hab. in Kamtschatka. Non confundenda cum R. rugosa Thunb. quam Andrew sub nomine R. ferocis et Redoutée sub illo R. Kamtschaticae dederunt.

In Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 100. cell. Woods ad R. Kamtschaticam sequentia Synonima refert, scilicet: R. altaica, Rosa ochroleuca Sw. et R. suavis Willd. Cum hisce non consentio. T.

ROSA *vèrsicolor. T.*

R. calycibus, urceolis obovatis, pedunculisque indifferenter glabris hispidisve, caule aculeatissimo, aculeis maxime inaequalibus, parvis, rectis, foliolis ellipticis utrinque glabris, simpliciter dentatis, floribus longe-pedunculatis, maximis, versicoloribus. T.

Rosa pimpinellifolia flore variegato. Red. Ros. II. 103. c. ic.

Frutex 2pedalis et ultra, ramosissimus. Aculei maximi 2—3 lineas longi, intermixtis minoribus vix linearibus, tandem setosis, atropurpureis. Folia 3—4—5juga, foliolis parvis ellipticis, plurimis acutis, aliis apice rotundatis, antice serratis, petiolis gracillimis, stipulis longis linearibus, apice divergenti-subfoliolosis. Pedunculi plerumque hispidi, elongati subsolitarii, raro gemini. Urceoli, uti et segmenta integerrima, cuspidata, plerumque glaberrima, livido-purpurascentes. Flòres magni suaveolentes in ramulis lateralibus elongatis. Petala obcordata basi flavicantia, tum ad duas tertias usque saturate rosea, et purpureo-punctata, tandem margine alba et roseo punctata. Fructus parvus, initio ruber, tandem nigrescens.

Patria ignota. Propagata ex horto Dni. Décémet, pepinieristae gallici. Multum recedit a R. pimpinellifolia. Proxima est R. Candolleanae; sed et ab hac discrepat aculeis maxime inaequalibus, pedunculis strictis et urceolis obovatis nec apice constrictis. T.

ROSA *Candolleàna. Thory.*

R. urceolis ovatis, glabris, pedunculis subsolitariis, calycisque laciniis simplicibus subhispidis, caulibus ramulisque setosis, setis confertis, brevibus, subaequalibus, rectis, foliolis ellipticis antice inaequaliter serratis. T.

Rosa Candolleana. Thy. R. Cand. p. 7. c. f. Bibl. univ. des sciences etc.; suite de la Bibl. Brit. X. Avr. 1819. p. 282—287. Redout. Roses. II. 45.

Frutex 4—5pedalis; petioli subaculeati, pubescentes, folia 3juga, parva; flores sat magni, albidi, fasciis dilutissime roseis picti. Fructus ovati, rubri.

Proxime affinis R. castae et versicolori. Patria ignota. Cell. Lindley in Ros. Mon. p. 145. hanc pro R. rubellae Synonimo declarat. T.

ROSA *càsta. T.*

R. urceolis pyriformibus, segmentis calycinis caule petiolisque glabris aculeatis, foliolis ovato-lanceolatis, simpliciter serratis, glaucescenti-rubicundis, floribus ternatis. T.

Rosa spinosissima nova variegata. Du Pont. Choix des Roses p. 3.

Rosa Redoutea glauca. Red. Ros. I. p. 101. c. ic. Thory in Red. Ros. l. c. p. 102. Lindl. Ros. no. 86.

Frutex 3pedalis. Rami novelli armati aculeis copiosis, valde inaequalibus, rectis, rubris; vetustiores raris, fortioribus, flavidis. Folia 3—4juga, foliolis acutis, utrinque glabris, simpliciter serratis, glaucis, junioribus rubicundis, illis R. rubrifoliae non absimilibus. Stipulae integerrimae, coloratae, apice glandulosae. Flores, gemini, plerumque terni, brevissime pedunculati, pedunculis tenuissime hispidis. Bracteae ex degeneratione folii proximi variae, coloratae. Calyx pariter rubellus, segmentis elongatis, spatulatis. Corollae sat magnae concavae, lacteae, margine dilutissima rubedine rosea suffusae. Stigmata in capitulum unita. Fructus elliptici. Color maturorum nondum observatus.

Patria ignoratur. Suspicor Galliam. Planta pulcherrima; R. Candolleanae proxime affinis in serie R. pimpinellifoliae. A R. Redoutea tota serie aberrat. Hoc etiam cell. Lindley affirmat, qui tamen minus juste illam cum R. rubrifolia coadunare intendit, quemadmodum R. Reduteam pro R. nitida declarat. T.

ROSA *parvifòlia.* T.

R. aculeis caulinis subrectis inaequalibus (majores foliolorum longitudine); foliololis subrotundis, floribus albidis. Thory.

Rosa Redoutea parvifolia. Thy. in Red. Ros. I. p. 102.

Rosa rubiginosa parvifolia. Lindl. Ros. Addend. p. 145.

Rami elongati, flexuosi, undique tecti aculeis flavidis copiosissimis, inaequalibus. Foliola parva, subrotunda. Petioli, pedunculi, urceolique glabri. Flores albi, gemini, vel terni.

Patria videtur Gallia. (?) Ipse Thory hanc cum R. myriacantha (quam R. pimpinellifoliae affinem existimat, quae autem potius ad rubiginosas seu glandulosas pertinet) comparat, et tantum pedunculis polyfloris, foliolis simpliciter serratis, et aculeis brevioribus ab eadem distinguit. Sine dubio est ergo affinis R. castae et ad seriem R. pimpinellifoliae pertinet. T.

ROSA *Bessèri. T.*

R. inermis, germinibus (urceolis) globosis pedunculisque hispidis, petiolis pubescentibus, foliolis ovalibus, utrinque glabris, cortice tuberculato inermi. Spreng.

Rosa (microcarpa) calycis tubo globoso pedunculis cauleque setoso-aculeatis, aculeis subulatis, rectis, subdeflexis. Besser Cat. hort. Cremenec. a. 1811. Suppl. 4. p. 20. et Cat. a. 1816. p. 118. Curt Sprengel. Novi proventus hortorum p. 35.

Hab. in Volhyniae saxosis circa Cremenecium. Fructus atri, sphaerici, pisi mole. Affinis R. pimpinellifoliae. De hac R. microcarpa dicit L. B. Marschall a Bieberstein in Fl. taur. cauc. III. p. 337. „Huic (R. suae spinosissimae) omnium proxima est R. microcarpa Bess. Discedit tantum petiolis subinermibus, germine toto, nec basi tantum hispido, et fructu parvo, mole Pisi majoris.“ Nobis sufficienter differre videtur. Cum vero jam existat R. microcarpa. Thunb. debebat nomen mutari. Ideo maxime oportunum et justum putavi, a nomine amici meritissimi, et inventoris hujus speciei nomen derivare.

Frutex 1—3pedalis ramis patentibus, griseis. Foliola 7—9 elliptica, serrata, glabra. Flores solitarii, albidi sat magni; Styli superne nudi, liberi. Fructus atri, magnitudine pisi majoris. Bess. Enum. pl. Volhyn. et Pod. p. 18 et 81. Idem l. c. p. 61. rejungit hanc speciem cum R. sua spinosissima, s. pimpinellifolia nostra, et p. 62. ut varietatem 13tiam ejusdem consignat, observatione adnexa, quod fructus in planta culta majores appareant, flores vero minores.

ROSA *pimpinellifolia inermis.*

Distinguitur caule, ramisque penitus inermibus. T.

Stupendam hanc et pulcherrimam R. pimpinellifoliae varietatem primus detexit Professor argentinus Nestler, qui illam in alpibus Vogesis invenit, et De Candollio misit. Ab hoc tempore jam multum propagata per hortos, et ex ejusdem seminibus simul specimina spinosissima et alia inermia enata fuerunt; quod etiam cell. Thory apud Redout. in Ros. T. III. pag. 24., ubi etiam icon prostat, autopta testatur.

ROSA *pimpinellifolia pumila.*

Distinguitur caule vix pedali, aculeatissimo, aculeis rectis, parvis, admodum inaequalibus, potius setoso - hispido; foliolis minimis utrinque glabris; floribus albis, facie Potentillae albae minimis, pedunculis, calycibusque glaberrimis. Tota planta primo adspectu R. aciphyllae simillima. Sed foliola obtusa, et caulis hispiditas mox eminent differentiis. T.

Inventa in sterilibus Europae borealis et in Austria. Flores amoene odorati. Icon ap. Redouteum T. I. ad p. 85. Subvarietas floribus roseis, fructibusque valde magnis atro-sanguineis nitidissimis apud Reiter et Abel in Holzarten, Fortsetz. fasc. 1. pag. 14. tab. 11. Sed ramulus fructiferus vix ad eandem speciem pertinere potest, cum pedicelli breviores, fortes, obconici et colore fructus tincti sint. Aculei praeterea in hoc sat validi; stipulae autem fere nullae.

ROSA *pimpinèllifolia. L.*

R. urceolis pyriformibus laciniisque integerrimis subcoloratis, pedunculisque glabris, ramis ramulisque aculeatissimis, aculeis maxime inaequalibus, rectis, foliolis subrotundo-ovatis, simpliciter serratis, utrinque glabris, ramulis floriferis brevissimis; fructibus atropurpureis. T.

Rosa pimpinellifolia. Willd. Sp. pl. II. 1067. Wahlenberg fl. carpath. p. 151. Schultes Oesterr. Fl. ed. 2. II. 68. Jacquin fragm. bot. p. 71. t. 107. f. 1.

Rosa spinosissima. Biebrst. fl. Taur. Cauc. I. 394. et III. 335.

Frutex 2 — 3pedalis, ramis aculeatis, aculeis atropurpureis vel cinerascentibus, maxime inaequalibus, fortioribus laedentibus, ceteris setaceis. Folia 3 — 5juga, non raro semisexjuga, valde parva. Stipulae glabrae, tenuissime serrulatae. Petioli raro aculeis minutissimis praediti. Ramuli floriferi laterales, breves, graciles uniflori. Pedunculi brevissimi et totus calyx glaberrimi, plerumque livido-purpurascentes. Flores minores, plerumque rubescentes. Fructus magnitudine Sorbi domesticae minoris atropurpurei, nitidi pyriformes, collo brevi, calyce persistente coronati.

Hab. in Europa media.

Ingens perturbatio enata fuit circa hanc et R. spinosissimam. Jam R. spinosissima Linnei commutata, plures species sub nomine R. pimpinellifoliae conglutinatae, et R. spinosissima ipsa non raro pro mera R. pimpinellifoliae varietate declarata fuit. Ipse Aiton, Smith, Thory, et plures alii R. spinosissimam Jacquinianam, sed certe immerito, cum praesenti confundunt. Debemus species ad aequalem normam discernere, et tunc sine dubio R. spinosissima, altaica, pimpinellifolia etc. totidem sunt diversae species; quatenus nempe R. gallicam, centifoliam, biferam, damascenam, pomponiam, Hudsonianam, ferocem et permultas alias ut species distinguimus.

R. pimpinellifolia. Vill. est R. glandulosa; R. pimpinellifolia. Pall. R. altaica est.

ROSA *pimpinellifolia. Mariaeburgensis.*

Distinguitur aculeis minutissimis, tamen inaequalibus, floribus magnis, petalis albis, unguibus flavidis, margine et extus roseo mixtis, fructibus depresso-globosis, magnis, nigris, nitidis, tandem pendulis. T.

Hab. in Ardennis montibus Galliae ad locum natalem cell. pictoris P. J. Redoutée, a suo fratre detecta. Varietas nitida, et amabilis. Icon ap. Redouteum. T. I. Confer. R. oxyacantham, quae tamen pedunculis glabris, et aculeis majoribus, rarioribus differt!

ROSA *stricta. Lindl.*

R. urceolis oblongo-turbinatis glabris, pedunculis ramulisque hispido-aculeatis, petiolis copiose aculeatis, floribus subsolitariis, fructibus pendulis, caule ramosissimo. T.

Rosa stricta. Mühl. Cat. 50. Lindl. Ros. no. 26. t. 7.

Frutex erectus 3—4pedalis, ramosissimus, ramis aculeato-hispidissimis, apice nudis; aculeis setisve parvis, debilibus, subaequalibus. Folia 3—4juga; stipulae glabrae, apice dilatatae, glandulis ciliatae; petioli aculeatissimi, aculeis recurvis; foliola parva, antrorsum increscentia, elliptica, obtusa, simpliciter serrata, glabra, supra saturate viridia, subtus glauca, crassiuscula, plana. Flores subsolitarii, ebracteati, breviter pedunculati; sepalae petalis breviores; petala rosea concava, mediocriter magna, leviter emarginata. Fructus magni, turbinati, penduli, calyce persistente coronati, ante maturitatem punctati, maturi demum splendide coccinei.

Hab. in Nova Anglia, Pensylvania etc. Similis quidem R. pendulinae, sed ob aculeos penitus alius sectionis. Possibile quidem, quod nescio, aculeos istos R. strictae caducos esse ut illos R. Wulfenii; sed R. pendulina Europaea nunquam hispido-aculeata observabatur, et supersunt characteres alii differentiales gravissimi, qui descriptiones comparantem quemlibet convincere debent. R. suavis (testante c. Linkio En. II. 57.) ab hac differt foliolis brevioribus magis rotundatis, petiolis et pedunculis glanduloso-setigeris et nervo foliorum subtus glanduloso. T.

ROSA *Ventenatiàna. Thy.*

R. germinibus (urceolis) digitaliformibus, basi, pedunculisque glanduloso - hispidis; caule aculeis inaequalibus, confertissimis, rectis; alabastris foliolis floralibus subsessilibus obsitis. Thory.

Rosa Ventenatiana. Red. Ros. III. p. 83. c. ic.

Frutex bipedalis: ramuli juniores dense centematosi. Folia inferiora praemature caduca, floralia usque ad maturitatem fructus persistentia, aggregata et florem fere involventia. Foliola 3-juga parva, ovalia, tenue denticulata, utrinque glabra, subtus pallidiora. Petioli centematoso-aculeolati. Stipulae parvae acuminatae. Flores solitarii, terminales, odoratissimi, pleni, pannosi, rosei. Pedunculi centematosi. Urceolus maximus, inermis, basi subpubescens, digitaliformis; sepalae breves, lanceolatae, cuspidatae, glabrae. Styli liberi, brevissimi. Fructus ruber, subglobosus.

Patria ignota. Colitur in Gallia. Affinis videtur R. suavi Willd.

ROSA *Oederiàna.* T.

R. urceolis globosis, segmentis integerrimis pedunculisque glabris, foliolis minutissimis, ovatis acutiusculis, dentatis, petiolis basi aculeatis, caule ramulisque hispido-aculeatis, floribus lateralibus, solitariis. T.

Rosa spinosissima. Oeder in Fl. Dan. T. III. t. 398. Reiter et Abel Holzart. fasc. 4. p. 29. t. 77.

Frutex (sine dubio) humilis; rami nigro-fuscescentes undique aculeati, aculeis foliolorum longitudine, non nimiis, nigricantibus, subaequalibus, rectis, supremis et ramulorum setaceis minoribus. Ramuli laterales alterni, brevissimi, flore terminati. Folia 3—4juga; stipulae vaginantes, superne plerumque in foliola infima abeuntes, vel saltem apice auriculatae. Petiolus basi tantum hispido-aculeatus. Foliola vel aequalia, vel apicem versus decrescentia, pari infimo tamen nonnunquam abrupte diminuto, 1—3 lineas longa, ovata, acuta, margine simpliciter, grosse et argute dentata. Pedunculi e centro cujuslibet fasciculi foliorum, respectu florum sat longi plus quam pollicares, graciles, glaberrimi; urceolus gracilis globosus vel subellipticus, segmenta subcolorata, integerrima, anguste lanceolata, corolla breviora. Corolla parva (magnitudine Papaveris alpini) concaviuscula; petala nivea, vix emarginata. Fructus (secundum Reiter et Abel) magnitudine Cerasi minoris, pomiformis, coccineus, nitidus, calyce persistente coronatus.

Hanc b. Willdenow citat ad R. arvensem. Bechstein ad R. spinosissimam. Figura Reit. et Ab. citata aperte ex Flora Danica mutuata; sed huic additus est fructus. Non vidi plantam; sed si talis est, qualem ad icones descripsi, certe est species distinctissima, proxima R. rubellae. Non potui ut varietatem ad alteram ullam speciem reducere, neque, ob diversitatem sat eminentem silentio praeterire. Nil ergo remansit, quam interim specifice discernere, aliorumque judicium exspectare. T.

ROSA *suàvis. Willd.*

R. germinibus (urceolis) oblongis glabris, pedunculis petiolisque glanduloso-hispidis, foliis glabris, subtus glaucescentibus, caule hispido. Willd.

Rosa suavis. Willd. Enum. Suppl. pag. 37. Hayne. Berl. Dendr. p. 98.

Petala saturate purpurea, levissime biloba. Willd.

Cetera omnia desiderantur. Videtur esse de familia R. spinosissimae, et forte affinis R. pimpinellifoliae. Nunc cell. Lindley in Ros. Mon. p. 41 et 42. interrogat num sua R. stricta non sit eadem? Sed ab hac differt ramulis armatis aculeatis, et junioribus tantum centematosis, petiolis glanduloso-centematosis, nec aculeatis.

Arma inaequalia conferta; foliola ovali-rotundata, simpliciter serrata, in foliis supremis nonnunquam acuminata. Fructus elliptico-oblongus, coccineus, Ex Hayneo.

Ad testimonium clariss. Waitz in litt. haec est R. dolosa Wendl.

ROSA *rubèlla. Smith.*

R. ebracteata, caulibus setigeris, receptaculis suburceolaribus, serraturis foliorum simplicibus; aculeis perpaucis, gracillimis, subaequalibus. Woods.

Rosa rubella. Smith Engl. Bot. t. 2521. Woods in Linn. Trans. XII. no. 2. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 82. Dietrich Lex. Nachtr. VII. 256. Lindl. Ros. no. 25.

Frutex erectus 3—4pedalis, in sabulosis maritimis vix semipedalis. Rami breves, fusci, aculeis rectiusculis gracillimis setisque confertis instructi. Petioli glandulosi ad ortum foliolorum aculeolati. Stipulae margine glandulosae. Folia 3—5juga, foliolis ellipticis, obtusis, simpliciter serratis, utrinque glabris. Pedunculi solitarii, filiformes, setis longiusculis tenerrimis vestiti. Urceolus basi globosus, superne aliquantulum constrictus, nunc glaber nunc sparsim hispidus, atrorufus, nitidus. Laciniae cal. triangulares, subulatae, simplices, setigerae. Flores rubelli aut rubri vel variegati. Styli inclusi, stigmatibus planiusculis. Fructus subglobosi, superne urceolati, coccinei. (Woods de colore fructuum dubitare videtur!)

Hab. in Anglia et Scotia praecipue ad littora maris. Affinis R. pimpinellifoliae. Woods duarum plantarum affinium mentionem facit, quarum altera hibernica, urceolis elongatis, et segmentis subappendiculatis distinguitur; altera tantum nomine notatur, in herbario Banksiano conservata sub titulo R. pimpinellifoliae Hort. Pitcairn. 1781. Cell. Lindley in Addend. p. 145. R. Candolleanam pro mero hujus Synonimo declarat. T.

ROSA *oxyacàntha. Bieberst.*

R. germinibus (urceolis) globosis, glabris, pedunculis villoso-glandulosis, caule aculeis confertis, setaceis, basi orbiculato-elliptica, petiolis aculeatis, foliolis obtusiusculis, simpliciter serratis, glabris, pedunculis fructus reflexo-patulis, calycinis segmentis indivisis. Bieberst.

Rosa oxyacantha. M. B. Fl. taur. cauc. III. 338.

Rosa sylvestris spinosissima, foliis Pimpinellae glabris, flore incarnato, odoro. Gmel. Sibir. III. p. 177. no. 16.?

Facies et foliola fere R. spinosissimae, (R. pimpinellifoliae L.) parva. Aculei caulini basi aeque angusti, sed quidquam majores, minusque conferti. Praecipua diagnosis ab affinibus ex pedunculo longiore, in quo fructus sphaeroideus atro-sanguineus nutat. Calycis laciniae in hac et praecedentibus (R. myriacantha et spinosissima, secundum auctorem l. c.) demum in fructu maturescente sursum connivere solent. Bieberst. l. c.

Hab. in Tauria. Affinis R. altaicae, kamtschaticae et sim.

ROSA *oxyacantha multiplex.*

Distinguitur caule aculeatissimo, aculeis longis non multum inaequalibus, subsetaceis, foliolis subrotundis, grosse serratis, minutissimis, utrinque glabris, pedunculis elongatis hispidis, urceolis, laciniisque calycis glabris; floribus polypetalis pollicaribus, expansis, suaveolentibus. T.

Cell. Thory in Red. Ros. T. I. p. 119. ubi etiam icon pulcherrima, hanc pro R. pimpinellifoliae varietate declarat. Sed nos potius hanc pro varietate R. oxyacanthae habemus, quacum certe in pluribus convenit quam cum R. pimpinellifolia. Sed cum R. oxyacantha nondum sufficienter propagata, et confusio universalis in serie R. pimpinellifoliae dominetur, non mirandum, quod etiam hoc loco permutatio accesserit.

ROSA *oxyacantha. Decemetiana.*

Distinguitur caule 2—3pedali, aculeatissimo, aculeis inaequalibus rectis, copiosissimis, xerampelinis, minoribus setaceis, plerisque sat longis, ramulis floriferis lateralibus, foliolis parvis, ovato-rotundatis; pedunculis elongatis, ebracteatis, glanduloso-hispidis, urceolis magnis semiglobosis, segmentisque integerrimis, cuspidatis fusco-purpurascentibus, floribus magnis semiplenis, expansis, albis, subnutantibus. T.

Apud Redouteum in Ros. T. II. ad pag. 99. sub nomine R. pimpinellifoliae flore albo submultiplici depicta est. Dixi in honorem cultoris gallici, cell. Décémet, qui primus hanc varietatem ex sua industria per hortos divugabat. T.

ROSA *boreàlis. T.*

R. urceolis subglobosis, pedunculis brevibus, segmentisque lanceolatis integerrimis glabris, foliolis ovatis, crenatis glabris, caule humili, ramulisque aculeatissimis, aculeis inaequalibus, rectis, albidis. T.

Rosa spinosissima nana. Andr. Ros. fasc. 24.

Rosa spinosissima β. Ciphiana. Smith. Fl. britt. II. 537.

Rosa spinosissima var. flore marmoreo. Andr. l. c. fasc. 9.

Rosa pimpinellifolia η floribus variegatis. Thory; apud Redout. in Ros. T. I. p. 84.

Rosa spinosissima nana rubra. Andr. Ros. f. 40.

Caulis torvus, pygmaeus, ½—1pedalis, diffusus, ramosissimus, undique aculeatissimus, aculeis rectis, 2—4 lineas longis, albidis subsetaceis. Folia 2—5juga, foliolis ovatis vel ellipticis, maximis 6, minimis vix 2 lineas longis, utrinque glabris, obtusulis, subtus pallidioribus, crenatis, neque serratis, vel dentatis. Petioli raro uno alterove aculeolo muniti, glaberrimi; stipulae lineares, ad medium tantum decurrentes, glaberrimae, integerrimae. Pedunculi solitarii semipollicares, rarius pollicares, terminales ebracteati. Flores magni, respectu fruticis, maximi, normales nivei. Petala concaviuscula, obcordata, emarginata. Fructus mihi non cogniti. Variat floribus incarnato-maculatis, roseis, coccineis, purpureo-violaceis, marmoratis, sulphureis, et discoloribus, i. e. petalis supra purpureis et subtus albis, tandem et floribus plenis. T.

Hab. in Scotia et Svecia. Si tamen, quod non suspicari audeo, cell. P. Wahlenberg erasset, et si R. nostra cinnamomea non esset R. spinosissima Linnei, tunc quaestio moveri deberet, an non forte haec praesens sit vera Linnei R. spinosissima? Interea hanc speciem in solis regionibus septentrionalibus domicilantem R. borealem nominavi; speciem distinctissimam foliolis crenatis, obtusis. T.

ROSA *borealis turbinata.*

Distinguitur caule semipedali paullo minus aculeato, urceolis maximis subturbinatis, depresso-globosis, vel hemisphaericis, segmentis calycinis majoribus, latis, acuminatis, fuscescentibus, floribus plenis vel semiplenis subconvolutis, niveis, roseis, sulphureis, vel discoloribus, petalis supra saturate purpureis, subtus albis. T.

Icon prostat apud Andreusium in Ros. fasc. 24. Uti ex allegato hoc opere patet, saepius una eademque planta simul flores fert simplices et polypetalos; phoenomenon, quod praesertim in R. bor. turbinata discolori admodum jucundum est. Hujus subvarietas est R. bor. turb. major, depicta in Andr. Ros. fasc. 40. sub nôe. R. spinosissimae incarnatae.

SERIES XVI.

SPRENGELIANA.

Caulis humilis, torvus, hispido-aculeatus; urceoli glabri; foliola ovato-oblonga, acuminata; flores parvi.

Species: R. marginata. Wallr. R. nankinensis. Lour.

ROSA *marginàta. Wallr.*

R. tubo (urceolo) calycis ovato, subcolorato, glabro, pedunculis hispidis, foliolis ovato-oblongis, acuminatis, rigidis, triplicato-serratis, glauco-rubris, glandulosis. Wallroth.

Rosa marginata. Wall. Ann. bot. p. 68. Lindl. Ros. no. 37.

Frutex humilis, contortus, ramosissimus, 1—2pedalis, inferne fere laevis, superne vero aculeis rectis, copiosis armatus. Foliola ovato-oblonga, acuminata, subcoriacea, supra nitida, saturate viridia, concoloria, utrinque glaberrima, serraturis rubromarginatis, glanduliferis. Petioli, vaginaeque glabrae, glandulosae. Pedunculi hispido-glandulosi. Tubus (urceolus) calycis sphaericus, coloratus, glaberrimus, laciniae calycinae subintegrae, apice foliosae, glandulis aggregatis scabriusculae. Corolla incarnata, unguibus flava. Fructus ovato-globosus, turgidus, maturus purpurascens. Wallr. l. c. Flores inodori (an solitarii? an aggregati?).

Comparatur cum R. canina et rubrifolia. A R. arvina, ceterum non affini, distinguit Rau in En. ros. p. 108. (v. sub R. arvina!) Ab aliis cum R. trachyphylla pro eadem habetur.

Hab. in agrorum versuris, prope Bennstädt in Saxonia.

ROSA *nànkinensis. Lour.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, glabris: caule multiplici, ramosissimo, aculeato, tortuoso, brevissimo: pedunculis hispidis. Loureiro.

Rosa nankinensis. Lour. Fl. cochinchinensis I. 397. Poir. Encycl. Suppl. IV. 713. Lindl. Ros. no. 33.

Caulis fruticosus, lignosus, 6-pollicaris, crassus, multiplex, ramosissimus, totus aculeatus. Folia impari-pinnata, 3juga: petiolis aculeatis; foliolis ovato-oblongis, subacuminatis, ciliato-serratis, planis, sessilibus. Flos pallide ruber, parvus, plenus: petalis ovato-oblongis, subacuminatis, planis: pedunculis hispidis. Germina (urceoli) ovata, calycina, glabra: calycis laciniis quinque, partim aculeatis, partim nudis. Habitat Cantone Sinarum et alibi, a Nankino oriunda. Affinitatem habet cum R. pumila. Linn. jun. suppl. pl. p. 262. Ast in Nankinensi fructus nec magnus, nec pyriformis, caulis vero aculeatus totus. Lour. l. c.

Nobis R. marginatae exclusive proxima videtur. Quare cell. Willdenowius hanc in suis Speciebus plantarum omisit?

SERIES XVII.

L I N K I A N A.

Caules praeter basin subinermes; aculei saepe stipulares; foliola lanceolata, vel oblonga; flores aggregati; segmenta calycis elongata.

Species: R. Hudsoniana. Thory. R. Solandri. T. R. blanda. Jacq. R. lucida. Ehrh. R. setigera. Mich. R. virginiana. Duroi. R. carolina. L. R. parviflora. Ehrh. R. Lyonii. Pursh. R. americana. Waitz. R. gemella. Willd. R. neglecta. T. R. Sprengeliana. T. R. glabra. Andr. R. aristata. Lapeyr. R. macrophylla. Lindl. R. Woodsii. Lindl. R. fastuosa. T. R. mutica. Müll. R. davurica. Pall. R. cinnamomea. L. R. majalis. Herm. R. muricata. Wz. R. fluvialis. Müll.

ROSA *Hudsoniàna. Thory.*

R. germinibus (urceolis) globosis; foliolis simpliciter serratis; petiolis villosulis, subaculeatis; laciniis calycinis integris corollam inapertam superantibus; caule inermi, floribus cymosis. Thory.

Rosa Hudsoniana. Red. Ros. I. p. 95. c. ic.

Rosa corymbosa. Du Pont. Choix des Roses etc. p. 5.

Rosa carolina corymbosa. Du Pont. Catal. ined. ser. 29. no. 238. (nec R. carolina corymbosa Red. Ros. I. p. 81. c. ic.)

Frutex 2—3pedalis, totus inermis; folia 2—3juga, foliolis elongatis, propemodum foliis Salicis viminalis aequalibus, simpliciter et aequaliter serratis. Petioli undique villosi, aculeis recurvis, minimis, 2—3 praediti. Stipulae perangustae, elongatae, convolutae, apice subdenticulatae, ciliatae. Flores cymosi, majores e caerulescenti-rubri; pedicelli bibracteati, glabri. Urceolus globosus, rarissime glandulis stipitatis munitus. Laciniae calycis integerrimae, apice dilatatae, corollam superantes, intus et margine pilosae, extus glanduloso-hispidae. Petala obcordata cum acumine. Stigmata rubra in capitulum sessile coalita. Fructus, globoso-pyriformes, parvi, aurantio-rubri, stylis persistentibus terminati.

Maxime affinis R. blandae, a qua caulibus penitus inermibus, stipulis et fructibus differt; tum R. virginianae, aculeis stipularibus distinctae; nec non analoga R. alpinae, ceterisque hujus seriei.

Hab. ad sinum Hudsoni, et a Thoryo nominata in honorem ipsius celeberrimi navigatoris anglicani, qui primus hunc sinum detexit; ergo non Wil. Hudsoni, qui floram anglicam edidit.

Variat caule scandente, altissimo, floribus plenis, foliis brevioribus, et corymbo maxime floribundo, pedunculisque elongatis. Planta normalis Thoryo et Redouteo vocatur R. Huds. salicifolia. Cell. Andrew in Ros. fasc. 33. varietatem floribus solitariis exhibet sub nomine R. Indicae salicifoliae. T.

ROSA *Hudsoniana scandens.*

Distinguitur caule scandente, penitus inermi, stipulis paullo latioribus, brevioribus, foliolis ovato-lanceolatis, fere duplo brevioribus, floribus subsolitariis, vel geminatis, semiplenis, sègmentis calycinis brevioribus, urceolisque subovatis. T.

Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 109. Vix mera varietas? Patria non cognita. Planta accuratiore observatione dignissima. An forte cum R. Hudsoniana corymbosa unius speciei, et cum hac a R. Huds. salicifolia separanda?

ROSA *Hudsoniana corymbosa.*

Distinguitur caule 2—3pedali, penitus inermi; stipulis oblongis, involutis, apice divergentibus, nonnunquam in par infimum foliolorum transmutatis, foliolis oblongis (tamen non longioribus, quam in R. Huds. scandente) elliptico-lanceolatis, simpliciter serratis, utrinque glabris, subtus glaucescentibus; corymbo terminali florido, pedunculis elongatis, bracteis flaccidis, urceolis subovatis indifferenter glabris, segmentis brevioribus subulatis, ante floris expansionem reflexis, floribus semiplenis, expansis, caerulescenti-roseis, magnitudine mediocribus. T.

Tantopere differt a R. Huds. vulgari, seu salicifolia, ut fere pro specie distincta haberem, nisi R. Huds. scandens iterum alio modo differet, et perinde metuerem, ne specierum numerus justo plus augeretur. Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 117.

ROSA *Solàndri. T.*

R. urceolis globosis, laciniis pedunculisque glabris; floribus solitariis; foliolis oblongo - lanceolatis simpliciter serratis, aculeis ramorum sparsis, deciduis. T.

Rosa blanda. Lindl. Ros. no. 16. excl. Synon.

Rami armati aculeis setisque sparsis, pallidis, inaequalibus, deciduis, strictis. Folia opaca; stipulae dilatatae, ellipticae, apice rodundatae, glandulis ciliatae; petioli inermes, tomentosi; foliola 5—7, lanceolata, plerumque oblonga, simpliciter serrata, supra glabra, subtus ad nervos principales tomentosa. Flores magni, rubri, solitarii: pedunculi et calyces inermes: urceolus globosus; sepala ovata, acuminata, integra.

Hab. ad littora occidentalia Americae septentrionalis ad sinum Hudsonis, lecta a Menziesio et Banksio.

In Musaeo Banksiano existit specimen siccum hujus plantae. Dr. Solander (in Mscr. Londini conservato) hanc ut varietatem R. suae blandae adnotaverat. Cell. Lindley, etsi veram hoc loco consignatam R. blandam pró tali agnoscat, tamen putat, a plurimis potius et ab ipso Aitonio et Willdenowio praesentem speciem pro R. blanda habitam fuisse. Sed Willdenowius certe R. blandam veram intellexit, reliqui potius R. Redoutei vel R. nitidam cum R. blanda comutaverunt. Cell. Lindley non dubitat de existentia praesentis speciei in hortis anglicis: sed fatetur, se nunquam adhuc vivam vidisse. Eo minus autem consentire audeo, si R. fraxinifoliam, utpote speciem europaeam et germanicam pro Synonimo R. blandae declarat. v. R. blandam, R. Redoutei et R. fraxinifoliam. T.

ROSA *blànda. Jacq.*

R. urceolis pedunculisque glabris, caule primario dense aculeato, serius, aculeis caducis, denudato: ramulis subinermibus, fructibus depresso-globosis. T.

Rosa blanda. Jacq. fragm. bot. p. 70. t. 105. Willd. Sp. pl. II. 1065.

Rosa cinnamomea ε blanda. Thory in Red. Ros. I. p. 134.

Rosa fraxinifolia. Lindl. Ros. no. 17. Edw. Bot. Regist. no. 458.

Caules primarii armati aculeis tenuibus subrectis, copiosissimis, secundarii fere inermes; foliola pedicellata oblonga fere cuneiformia, utrinque glabra, glaucescentia, subtus pallidiora, inaequaliter tenuiterque serrata; petioli glabri, rarius uno alterove aculeolo muniti. Stipulae dilatatae, serrato-dentatae. Corolla alba, vel pallide rosea; urceolus glaber, laciniae cal. integrae, subulatae, longissimae, intus albidae. Fructus globosi, utrinque parum depressi, aurantiaco-rubri, magnitudine Cerasi minoris, calycibus persistentibus coronati.

Aculeis et colore florum distinguitur a R. Hudsoniana, maxime affini.

Hab. in Terra nova et ad sinum Hudsoni. In multis convenit c. R. fraxinifolia.

C. Andrew f. 18vo Ros. habet R. blandam nostrae penitus contrariam. Sed haec est R. Redoutea Thoryi, quam respuere omnis animus adversatur. Sed neque necessarium; etenim ex descriptione Willdenowii patet, Rosam ejus blandam cum nostra esse eandem. Nam dicit, ramulos esse inermes, et caulem e terra erumpentem aculeatum, aculeis serius caducis denique laevem atque inermem. Rosa blanda Purshii non potest esse nostra, sed est R. Redoutei; nam citat figuram Andrewsii. Definitio obscura hanc confusionem genuit. R. blanda Lindleyi nobis R. Solandri est. T.

ROSA *lùcida. Ehrh.*

R. germinibus (urceolis) depresso-globosis pedunculisque subhispidis, petiolis glabris subaculeatis, caule glabro, aculeis stipularibus rectis, foliolis oblongo-ellipticis, nitidis, glabris, floribus subgeminatis. Willd.

Rosa lucida. Ehrh. Beitr. IV. p. 11. Willd. berl. Bmz. 310. Ejusd. Sp. pl. II. 1068. Pers. Syn. II. 48. Pursh. fl. Am. sept. I. 344. Icon. Dillen. hort. elth. t. 245. f. 316. Lindl. Ros. no. 11. Jacq. fragm. bot. p. 71. t. 107. f. 3. Red. Ros. I. p. 45. c. ic.

Rosa carolina. Walter Fl. carol. 149.

Frutex 4—5pedalis, frondosus; aculei recti, stipulares; folia bijuga; foliola oblonga, elliptico-lanceolata, utrinque glabra, superne lucida, basi integerrima, antice obtuse, grosse et inaequaliter serrata; petioli glabri, aculeolis perpaucis muniti. Flores odorati 1—3, subcymosi, mediocres, plus minus rosei, admodum fugaces; pedunculi subhispidi. Urceolus globosus, crassus, superne depressus, paullisper hispidus; laciniae calycis plerumque integerrimae, attenuatae, subhispidae, raro pinnatifidae. Fructus coccinei, pomiformes s. depresso-globosi, subhispidi, calyce persistente coronati, magnitudine cerasi.

Hab. circa paludes de New York usque ad Carolinam in America septentrionali; plerumque floribus plenis degenerat. R. lucida M. Lawrance est R. bracteata, adeoque caute distinguenda.

ROSA *setigera. Michaux.*

R. urceolis globosis, petiolis nervisque aculeatis, ramis glabris, aculeis sparsis, plerumque stipularibus geminis, foliolis acuminatis, subtus ad nervos subpubescentibus, calycis laciniis pinnato-setigeris, stylis coalitis. T.

Rosa setigera. Michaux Fl. bor. Amer. I. 295. Pursh. fl. Amer. sept. I. 345. Pers. Syn. pl. II. 48. Lindl. Ros. no. 73.

Frutex 5—8pedalis. Folia 1 — 2juga, foliolis plerumque penitus glabris, nonnunquam ad nervos puberulis. Aculei plerumque gemini, stipulares recurvi sed et nonnunquam praeterea in caule, quamquam rarissime sparsi; stipulae subulatae; petioli hispido-aculeati. Flores numerosi, nonnunquam solitarii, rosei; pedunculi elongati hispidi: urceolus globosus, scaber: sepalae glanduloso-tomentosae; petala dilatata, obcordata: styli in columellam prominentem coaliti. Datur varietas elatior, aculeis inordinatis; foliolis magis pubescentibus; laciniis calycinis rarius setigeris. Fructus globosi rubri, muricati.

Hab. in stagnis Virginiae et Carolinae inferioris. Floret Junio et Julio. Affinis R. Carolinianae. Memorabilis analogia cum Rosa Sabini!

ROSA *virginiana. Du Roi.*

R. urceolis globosis, pedunculisque subhispidis, petiolis pilosis subaculeatis, caule glabro, aculeis stipularibus, rectis, foliolis oblongo-lanceolatis tenue serratis, glabris, laciniis calycis praelongis, simplicibus, strictis. T.

Rosa virginiana. Du Roi Harbk. Baumz. II. 353.

Rosa carolina. Lindl. Ros. no. 15.

Rosa corymbosa. Ehrh. Beitr. IV. 21.

Caulis laevis 4 — 6pedalis, ramosus. Aculei parvi, bini ad stipulas. Folia 3-juga, foliolis majoribus, tenue et aequaliter serratis, subcoriaceis opacis. Flores corymbosi, majores, rosei, serotini. Calycis laciniae lineares, medio angustatae, strictae, petalis fere longiores, subtus hispidae. Fructus depresso-globosi, parvi, rubri, glabri vel hispidi. Affinis R. cinnamomeae.

Hab. in paludosis, ad lacus in America septentrionali. Differt a R. carolina foliolis magnis, coriaceis, concoloribus, oblongo-lanceolatis; floribus cymosis, pedunculis, calycibusque glabris, floribus majoribus. T.

Quam Redoutéus in Ros. I. ad pag. 81. depinxit, et R. carolinam corymbosam nominavit, varietas est, notabiliter distincta non modo florum multitudine, sed et foliis tenuiter serratis, pedunculis, urceolis calycibusque glabris, fructibusque perexiguis. An forte species diversa? T.

ROSA *carolina. L.*

R. germinibus (urceolis) globosis, hispidis, pedunculis subhispidis, caule aculeis stipularibus, petiolis aculeatis. Linnée.

Rosa Carolina. Linn. Sp. pl. ed. 3. I. 703. Wangenheim Amer. 112. tab. 31. fig. 71. Mich. fl. bor. Amer. I. 295. Aiton. h. k. ed. 2. III. 260. Dill. Elthan. 325. t. 245. f. 316. Andr. Roses fasc. 8.

Rosa laxa. Lindl. Ros. no. 12.

Frutex nanus, torvus diffusus. Caulis ad basin aculeato-hispidus. Rami glabri. Aculei substipulares, gemini, raro solitarii, recti, mediocres. Stipulae glabrae, lineares, margine glanduloso-serrulatae. Petioli subtus aculeati, aculeis minutis, rectis. Folia 3juga, foliolis parvis, subaequalibus lanceolatis, a basi ad medium usque saepius integerrimis, antice simpliciter serrulatis, utrinque glabris, supra saturate viridibus opacis, subtus glaucescentibus. Flores in ramulis lateralibus terminalibusque, speciosi, saturate rubri, fragrantissimi, serotini, solitarii vel subracemosi, pedicellis brevibus, ebracteatis, urceolis globosis, calycisque segmentis elongatis extus glanduloso-hispidis. Petala obcordata.

Hab. in America septentrionali. Differt a R. parviflora (pensylvanica Wangenh.) inflorescentia solitaria vel subracemosa, pedicellis brevibus, bractearum defectu vel minutia, aculeis minoribus, substipularibus, foliolis minoribus, lanceolatis; a basi ad medium tenus saepe integerrimis. Hortulanis saepe R. pimpinellifolia americana vocatur. T.

ROSA *Carolina conglobata.*

Distinguitur floribus paniculatis parvis plenis, petalis exterioribus majusculis expansis, interioribus convolutis et supra germina conglobatis, omnibus dilute roseis. T.

R. pensylvanica Andrewsii, quam ad synonima nostrae R. parviflorae duxi, vix differt a R. carolina. Praesentem vero Andrew ipse ut varietatem R. carolinae exhibet, quae autem a R. parviflora plena in nulla alia re quam petalis majoribus, centro conglobatis differt. An ergo forte Synonimon R. pensylvanicae Andrewsii non pertinet ad R. parvifloram? T.

Icon praesentis in Andr. Ros. fasc. 16. sub nôe: R. caroliniana flore pleno.

ROSA *parviflòra. Ehrh.*

R. germinibus (urceolis) depresso-globosis, pedunculisque hispidis, petiolis pubescentibus subaculeatis, caule glabro, aculeis stipularibus rectis, foliolis ellipticis, floribus subgeminatis. Willd.

Rosa parviflora. Ehrh. Beitr. IV. 21. Willd. berl. Baumz. p. 309. Ej. Sp. pl. II. 1068. Poir. Encycl. VI. 296. Pursh. fl. Amer. sept. ed. 2. I. 344. Nouv. Duham. VII. p. 18. Red. Ros. II. p. 73. c. ic. Lindl. Ros. no. 13.

Rosa carolina. Du R. harbk. Baumz. II. 355. Mich. fl. bor. Amer. I. 295.

Rosa pensylvanica. Wangenh. Nord-Amer. p. 113. Andr. Ros. fasc. 8.

Rosa humilis. Marshall arb. 285.

Frutex bipedalis. Aculei stipulares, oppositi, longi, fere recti, et pauci praeterea solitarii. Folia bijuga, foliolis ovato-lanceolatis simpliciter serratis supra vix nitidis, subtus pallidioribus, glabris; petiolis superne pubescentibus subtus aculeatis. Stipulae serrulatae. Flores paniculati, pedicellis elongatis bracteatis, hispidis, vel hispido-aculeatis, terminales, rubri. Calyces subappendiculati corolla majores, glanduloso-hispidi. Fructus ignoti.

Affinis R. lucidae et virginianae, sed utrisque multo minor, petioli pubescentes, foliola vix nitida, et calyces valde glanduloso-hispidi. A Rosa gemella Willd. differt aculeis stipularibus, et foliolis minus elongatis, penitus glabris. Maxime affinis, et fortasse non sufficienter diversa est R. carolinae L. Cell. Nuttal solummodo Rosas 1. blandam, 2. parvifloram, 3. nitidam, 4. lucidam, 5. gemellam, 6. Lyonii, 7. setigeram, 8. carolinam, et 9. rubifoliam pro Americae sept. indigenis, laevigatam vero et rubiginosam (suaveolentem Pursh) pro peregrinis colonis declarat.

Hab. in sylvis, ad latera collium in New-York et Carolina. Fl. Junio et Julio. Cave ne confundas cum R. parviflora Andr. quae R. sylvatica multiplex, vel cum R. parviflora Du Pont et Du Hamel, quae R. Redoutea est. T.

ROSA *parviflora plena.*

Distinguitur caule humili tota aestate florente floribus racemosis, pedicellis ad basin bracteatis, urceolis segmentisque subappendiculatis hispidis, corollis multipetalis semi-expansis; petalis extremis albis, basi tantum roseis, interioribus roseis, centralibus saturatissime roseis, floribus parvis magnitudine R. pomponiae. T.

Icon apud Andreusium in Ros. fasc. 12. Inter Rosas hortenses de pulcherrimis, et etiam ob diuturnitatem inflorescentiae summi habenda. Aliae subvarietates floribus conglobatis, inaequalibus, et expansis, crispulis habeutur apud eundem fasc. 16 et 28vo sub nomine R. carolinianae, varietatum.

ROSA *Lyònii. Pursh.*

R. germinibus (urceolis) subglobosis, glabriusculis, pedunculis hispidis, petiolis subaculeatis, caule glabro, aculeis sparsis, rectis, foliolis (3—5) ovato-oblongis, acutis, serratis, supra glabriusculis, subtus tomentosis, superioribus simplicibus, floribus subternatis, stipulis linearibus, calycis laciniis tomentosis linearibus, vix laciniatis. Pursh.

Rosa Lyonii. Pursh. Fl. am. sept. ed. 2. I. 345. Poiret in Encycl. Suppl. IV. 714. Lindl. Ros. no. 82.

Caules glabri, aculeis rectis, sparsis muniti; folia parva 3—5juga (? sic Poiret!), venae foliolorum coloratae; flores pallide rubri. Plura desiderantur.

Hab. in Tennasée. Detexit Lyon, in cujus herbario siccam vidit Pursh. Ad testimonium Lindleyi affinis R. carolinae.

ROSA *americàna. Waitz.*

R. tubo calycis (urceolo) globoso, segmentis simplicibus, pedunculisque glabris; petiolis pubescentibus, eglandulosis, inermibus; foliolis subrotundo-ovatis, simpliciter serratis; ramulis floriferis subinermibus; caule ramisque setigeris, armis inaequalibus rectis confertis; fructu globoso, calyce coronato. Waitz in litt.

Rosa americana. Waitz hort. Breit. 416. Link Enumer. h. berol. ed. 2. II. 56.

Ex diagnosi Linkiana caulis nudus, aculeis stipularibus incurvis; petioli hirti, foliola ovalia, serrata, glabra, subtus glaucescentia; pedunculi nudi; urceolus globosus nudus, sepalae subtomentosae, non foliaceae.

Affinis R. Lyonii in serie Linkiana.

Hab. in America septentrionali.

ROSA *gemèlla. Willd.*

R. germinibus (urceolis) depresso-globosis pedunculisque glabris, floribus subgeminatis, foliis oblongis acutis, petiolis venisque subtus pubescentibus, aculeis caulinis geminatis. Willd.

Rosa gemella. Willd. Enum. h. ber. I. 544. Pursh Fl. Am. sept. I. 349. Poiret Enc. Suppl. IV. 711. Lindl. Ros. no. 81.

Aculei breves, uncinati, geminati infra-axillares, non stipulares. Petala rubra. Media inter R. lucidam et carolinam, sed folia nullo modo nitida. Willd. l. c.

Affinis R. parviflorae et analoga R. hibernicae. Sed optanda esset uberior descriptio.

Hab. in America boreali. ♉.

ROSA *neglècta.* T.

R. urceolis subglobosis, segmentis simplicibus pedunculisque glabris, floribus solitariis alternis semiplenis, foliolis parvis lanceolatis, argute serratis, caulibus gracilibus, flexuosis, aculeis subrecurvis stipularibus. T.

Rosa canina var. flore pleno. Andr. Ros. fasc. 12.

Habitus et altitudo fruticis ignota, videtur similis R. arvensi. Folia et foliola simillima R. aciphyllae, sed subtus glaucescentia; petioli glabri, aculeati; stipulae lineares glabrae involventes. Aculei ramulorum longi, recti vel parum recurvi, purpurei, graciles, basi parum dilatati, stipulares, gemini, raro solitarii; pedunculi alterni, nullis foliis sed bracteis lanceolatis patentibus praediti, sat longi; flores parvi albi, et pallidissime rosei, petalis exterioribus patentibus, interioribus convolutis genitalia cooperientibus.

Etsi cell. Andrew hanc pro R. caninae varietate declarat, et quamquam aliqua similitudo cum R. aciphylla minime denegari potest, tamen aperte video, hanc ne quidem ad familiam R. caninae pertinere, sed potius ad illam R. Carolinae et sim. Hanc affinitatem mihi jam produnt aculei stipulares, foliola et segmenta calycis longissima simplicia. Patria ignoratur; pro mea opinione est America septentrionalis. In Anglia jam diu colitur in hortis. Species sine dubio adeo distincta quam ulla.

Dixi neglectam, quia in hortis plerumque negligitur, sed immerito, cum tamen elegantia insignis sit, et solum nomen R. caninae erroneum cultorum exspectationem deleat; qua de caussa etiam ipse Andrew eandem immerito negligi conqueritur. T.

ROSA *Sprengeliàna. T.*

R. subinermis, germinibus (urceolis) globosis hispidis, pedunculis glabriusculis, petiolis villosis, foliolis oblongis apice serratis, subtus pubescentibus, ramis subinermibus, aculeis rarissimis rectis, floribus sessilibus aggregatis. C. Sprengel.

Rosa virginica. Curt. Spreng. Nov. prov. hort. acad. p. 36. no. 80.

Videtur esse e familia R. parviflorae. Non potest esse R. virginiana. Mill. Dict. no. 10. nam haec ad verba Milleri est: „inermis; foliolis ovatis, serratis, utrinque glabris, calycis foliolis indivisis.“ et fere ab omnibus ut Synonimon R. penduli-nae consideratur! Profecto maxime optanda est illustratio hujus speciei, quae inter tot alias sola et unica est floribus sessilibus.

Nomen mutari debuit, quia jam praesto est R. virginiana.

ROSA *glàbra. Andr.*

R. germinibus (urceolis) ovatis: pedunculis et petiolis hispidis: floribus multipetalis aequalibus: foliis glabris: foliolis oblongis, acuminatis, serratis: caule glabro, subinermi. Andrew.

Rosa glabra. Andr. Roses fasc. 21.

Magnitudo et forma R. pomponiae, folia R. moschatae. Sed affinis potius R. cinnamomeae. Etenim caulis inferne aculeatus, superne inermis. Stipulae undique serrulatae, parvae, glabrae; petioli aculeati; foliola majuscula, ovato-lanceolata, inaequaliter serrata, subtus glauca, venosa. Flores parvi, albi, explanati, in racemo terminali. Pedunculi crassi, glanduloso-hispidi, subbracteati; urceoli et calycis segmenta pari modo hispida, reflexa, magna, subpinnatifida.

Patria ignoratur, sed suspicor Americam septentrionalem. ♉.

ROSA *aristàta. Lapeyr.*

R. germinibus (urceolis) globosis; calycibus pedunculisque hispidis; petalis expansis calyce brevioribus; floribus solitariis; foliolis obovatis, oblongis, serratis, supra glaucis laevibus, subtus lanatis, superioribus petiolo aristatis; caule petiolisque raro aculeatis. Lapeyrouse Hist. d. pl. d. pyrénées p. 285.

Rosa aristata. Lapeyr. Fl. pyr. t. 105. Lindl. Ros. no. 21.

Haec species caractere distinctissimo eminet. Foliolum terminale, in foliis superioribus, maximum, terminatur arista valida, quae ex productione petioli per folioli medium enascitur. Flores purpurei. Ad mentem cell. Lindleyi affinis R. majali, cinnamomeae et sim.

Hab. circa Barège in circulo Pyreneorum superiorum. ♉.

ROSA *macrophýlla. Lindley.*

R. urceolis oblongis, sepalis, pedunculisque subhispidis; sepalis corolla longioribus patulis, ramis inermibus; petiolis tomentosis sparse glandulosis; stipulis bracteisque oblongis lanceolatis; foliis longissimis, foliolis lanceolatis, subtus albo-tomentosis. T.

Rosa macrophylla. Lindl. Ros. no. 23. t. 6.

Rami inermes (? Lindl.) rubescentes. Stipulae concavae, dilatatae, falcatae, acutae, coloratae, glabrae. Petioli saepius novempollicares dense villosi, inermes, adspersi glandulis villo immersis exiguis; foliola 5—11, lanceolata, flaccida, venosa, simpliciter et argute serrata, supra saturate viridia, hinc inde purpurascentia, glabra, subtus albo-tomentosa. Bracteae rubedine suffusae, tenues, lanceolatae, insigniter longae lataeque, subintegerrimae, glabrae, excepta costa dorsali, quae utrinque pilosa; pedunculi villosi, setulis inaequalibus subhispidi, colorati; urceolus oblongus glaber (in icone sparse hispidulus!); sepala longissima, anguste triangularia, simplicia, apice dilatata et denticulata, hispidula, dorso colorata. Petala obovata, obsolete apiculata sepalis notabiliter breviora, rosea; antherae oblongae, magnae; discus magnus, parumper limbum superans; germina 28 tomentosa; styli pilosi, exserti, distincti.

Hab. prope Gossam Than in India orientali, unde a Dre Wallich illustriss. Banksio missa fuit. Affinis R. fastuosae, majali et sim. Sine dubio caulis principalis basi aculeatissimus: nam hic character huic familiae s. sectioni exclusive proprius. T.

ROSA *Woòdsii. Lindley.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, petiolis aculeatis, ramulis subinermibus; stipulis laciniisque calycinis conniventibus, foliolis oblongis, obtusis, glabris. Spreng.

Rosa Woodsii. Lindl. Ros. no. 14. C. Spreng. in Neu. Entd. III. 244.

Frutex parvus, erectus, torvus, basi aculeatissimus, aculeis rectis, tenuibus, intermixtis setis, versus extremitates stipularibus; ramuli saepius inermes. Folia glabra; stipulae perangustae, acuminatae, glandulis fimbriatae, convolutae; petioli armati aculeis inaequalibus rectis; foliola 7—9, illis R. rubellae similia, nitida, plana, simpliciter serrata, subtus pallidiora. Flores fusco-purpurei, vernales. Fructus ovati, nudi, coronati sepalis brevibus, conniventibus, integris, eglandulosis pariter ac pedunculi.

Hab. juxta flumen Missouri Americae septentrionalis. Habitu, praeter folia, R. majali simillima. Charactere maxime propinqua R. virginianae (R. carolinae Lindl.) praecipue in notabili stipularum convolutione. Ab hac vero ramificatione adaucta, aculeis mollibus et foliolis parvis nitidis sufficienter distincta. Interim floret vere, fructus nudi, glabri, et laciniae calycis persistentes, conniventes sunt. Colitur in horto Sabini in North Mimms, missa de Gallia ab hortulano mercenario sub nomine novae Rosae Americanae floribus nigris et luteis, et sub hoc nomine indicata in Promville's Nomencl. 24.

Nomen in honorem Jos. Woods a Lindleyo fundatum praetuli — et alterius speciei a me jam prius in hoc opere propositum post obtentum Lindleyi librum iterum delevi, cum praesens species dignior videretur. T.

ROSA *fastuòsa. T.*

R. urceolis globosis, pedunculisque bracteas vix superantibus glabris, caule in prima juventute, et etiam serius basi, spinosissimo, demum subnudo, aculeis superioribus geminatis, rectis, stipularibus, foliolis ellipticis glabris, subtus subrubescentibus, rugosis, remote dentatis. T.

Rosa cinnamomea. Red. Ros. I. p. 133. c. ic.

Frutex 4—5pedalis, aculeis rectis vel subaduncis. Foliola oblonga, magna, elliptica, approximata, subobtusa, simpliciter et remote dentata, supra saturate viridia, glabra subtus ad nervos pubescentia; stipulae latae, inciso-dentatae. Pedunculi in ramulis lateralibus, solitarii vel gemini, brevissimi, fere toti bracteis involucrati, saepe colorati; urceolus, globosus, basi attenuatus, glaber, et segmenta longa nonnunquam spatulata vel et appendiculata. Petala rosea vix emarginata, saturatius purpurea ungue et margine albicantia.

Hab. in Gallia. Non est R. cinnamomea De Candolli et Suteri, nec R. simplex Scopolii, quae urceolos ovatos et segmenta cal. glanduloso-hispida habet. Hujus loci forte est R. cinnamomea Loureironis in fl. Cochinch. I. 395. Hanc nullibi descriptam invenio nisi in opere citato. Differt a R. cinnamomea foliolis quadruplo majoribus, remote dentatis, nec basi angustatis, nec apice rotundatis, subtus vix pubescentibus; pedunculis brevissimis, totis involucratis, urceolis basi attenuatis, floribus majoribus, ramulisque floriferis brevibus, lateralibus. T.

ROSA *mùtica. Müller.*

R. urceolis depresso-globosis, pedunculisque bracteas excedentibus glabris, floribus subsolitariis parvis, petalis rotundatis, stipulis ovato-lanceolatis, convolutis, serratis; foliolis magnis obtusiusculis, obsolete dentatis; caule subinermi. T.

Rosa mutica. Müll. in Fl. Dan. IV. 688.

Caulis fruticosus, aculeis raris geminatis, rectis, caducis, ramis foliisque flaccidis. Folia quaedam longissime petiolata 2—3juga, petiolis glabris inermibus. Foliola magna late elliptica vel obovata, aeqalia, distantia, obsolete dentata vel serrulata, rugosa, subtus glauca (pubescentia?) Pedunculi terminales breves, bracteas stipulis conformes parum excedentes. Sepalae margine tomentosae, integerrimae, in longos mucrones subspatulatos productae. Corolla parva, pallide rosea, petalis concavis, rotundatis, non emarginatis. Fructus nondum cognitus.

Hab. ad littora dröbakiensia in Dania. Affinis R. fastuosae, a qua tamen differt floribus triplo minoribus, foliis longe petiolatis, foliolis majoribus latioribus, praecipue vero bracteis acuminatis. Descripsi hanc plantam ad iconem Florae danicae, ceterorum inscius, quae desiderantur. Sed, nisi icon penitus vitiosa, species est distinctissima, ab ill. Lindleyo pro R. majalis Synonimo declarata. (v. Lindl. Ros. p. 34. no. 22.) Sane R. majalis Lindl. est nostra, sed et ejusdem R. cinnamomea a nostra R. majali non differt. Praesens autem R. mutica ab utrisque magis differt quam a R. fastuosa. T.

ROSA *davùrica. Pall.*

R. germinibus (urceolis) pedunculisque glabris, aculeis stipularibus, petiolis subvillosis, foliolis semiserratis. Pallas.

Rosa davurica. Pall. fl. Ross. II. p. 61. Lindl. Ros. no. 20.

Frutex saepe 5-pedalis erectus, ramosissimus, ramis tenuibus, rigidis, laevibus, cortice fusco — testaceo obductis, spinis ad ramulorum origines et in annuis ramulis ad ortum foliorum geminis, patentissimis, subrecurvis, griseis. Frondes alternae, stipulis angustis serrulatis, petiolis pubescentibus inermibus. Foliola septena, subaequalia, subtus pubescentia, lanceolata, basi integerrima, a medio versus apicem sensim profundius serrata, quaedam fere Spireae chamaedryfoliae similia, subretuso-crenata, pleraque acuta. Pedunculi glabri ex omnibus ramulis, folio et opposita stipula involucrati; calycis laciniae margine tomentosae, apice lineari foliaceo elongatae, petalis fere longiores. Petala saturate rosea, integra, magna. Fructus rubri, ovati. Pallas.

In Davuriae et Mongoliae transalpinae apricis et betuletis, cum Spirea chamaedryfolia, ubique copiosissima et simul florens Junio, a R. alpina distinctissima. Pall.

Sine dubio R. cinnamomeae proxima et quasi media inter fastuosam et cinnamomeam. Cell. Lindley dicit, specimina sub hoc nomine in herbario Pallasiano existentia potius varietatem R. reversae repraesentare. T.

ROSA *cinnamòmea. Linn.*

R. urceolis globosis, bracteas non excedentibus, pedunculisque glabris, foliolis lanceolato-oblongis, utrinque pubescentibus, aculeis sparsis, stipularibusque binis, ternis, quaternisve. T.

Rosa cinnamomea. Linn. Sp. pl. I. 703. Ait. h. k. ed. 2. III. 259. Rau Enum. p. 52 excl. plur. Syn. Wallr. Ann. bot. p. 60. Woods in Linn. Trans. XII. et Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 78. Smith Engl. Bot. t. 2388. Andr. Ros. fasc. 17. Fl. Dan. VII. t. 1214.

Rosa collincola. Ehrh. Beitr. II. 70.

Rosa spinosissima. α. Wahlenberg. fl. upsal. p. 171.

Frutex 4—5pedalis. Aculei baseos copiosi, decidui, stipulares peristentes, saepius 3, 4ni, recti, fortiores, inferiores et maximi tantum recurvi, atropurpurei. Stipulae undique serrulatae; petioli pubescentes aculeati; foliola majuscula lanceolata, serrulata, basi tantum integerrima, rugosa, superne saturate viridia, subtus canescentia, utrinque, subtus tamen magis pubescentia. Flores parvi, saturate rosei, saepe pleni, solitarii, gemini, terni, brevissime pedunculati, pedunculis a bracteis quidem non involutis, sed tamen illis brevioribus. Segmenta calycis longissima, corollae aequalia, apice subspatulata, saepius pinnatifida vel appendiculata, margine subtomentosa. Fructus globosi aurantiaci. T.

Hab. in Suecia, Dania, Anglia, nec non in Germania boreali. Differt a R. majali foliolis lanceolatis majusculis, utrinque pubescentibus, petiolis aculeatis, pedunculis brevioribus, fructibus globosis aurantiis. In fidem cell. Link haec est R. acuminata Swartz. v. Jahrb. d. Gew. I. f. 2. p. 82.

ROSA *majàlis. Herm.*

R. urceolis globosis, pedunculisque excedentibus glabris, segmentis utrinque tomentosis, corolla longioribus, stipulis bracteisque glanduloso-ciliatis, petiolis tomentosis inermibus, aculeis uncinatis stipularibus, foliolis ellipticis vel obovatis, obtusissimis. T.

Rosa majalis. Herm. diss. de Rosa. p. 8. Retz. obs. bot. fasc. 3. p. 33. Deslongchamps Notice à ajout. p. 79. Wahlenberg. fl. lapp. p. 141. var. β. cinerea. Lindl. Ros. no. 22.

Rosa cinnamomea. Guimpel deutsch. Holzart. I. p. 113. t. 85. Marsch. Bieberst. fl. taur. cauc. I. 393. et III. 334. exclus. Syn. Bechstein Forstbot. 239 et 946. Red. Ros. I. p. 105. c. ic. Lindl. Ros. no. 18.

Rosa cinerea. Swartz. Bot. t. 553.

Rosa foecundissima. Roth. fl. germ. I. 118. II. 557. Münchhaus. Hausv. V. 254.

Rosa spinosissima. β. Wahlenb. fl. Upsal. p. 171.

Frutex 5pedalis basi spinoso-hispidus. Ramuli graciles, glabri, purpurascentes, aculeis parvis, apice plerumque uncinatis, albidis, geminis, axillaribus et stipularibus. Folia 2—3 juga, pari 3tio infimo minimo, foliolis antice serrulatis, basi integerrimis, supra glabris, subtus griseo-tomentosis, inaequalibus, plerisque obovatis, apice rotundatis, aliis, praecipue novissimis, lanceolatis, sed raris, omnibus parvis, tenerrimis. Stipulae coloratae, apice dilatatae, pleraeque rotundatae, sed et nonnullae acuminatae, apice glanduloso-denticulatae. Petioli albo-tomentosi, absolute inermes. Pedunculi bracteas jam ante floris expansionem excedentes, solitarii, vel gemini. Calycis segmenta purpurascentia, intus et extus tomentosa, medio tantum glabra, longissima, simplicia, spatulata. Corolla parva pallide rosea, saepissime plena, et tum pannosa. Fructus ovato globosi, rubri, maturitate demum nigricantes. Hab. in Caucaso, Germania, Gallia etc.

ROSA *muricàta. Waitz.*

R. tubo calycis (urceolo) oblongo, segmentis simplicibus, glandulosis; pedunculis setis singulis armatis; petiolis glabris, aculeatis; foliolis simpliciter serratis, glabris; ramulis floriferis inermibus; caule ramisque setigeris, armis confertissimis. Waitz.

Rosa muricata. Waitz in litt. Link Enum. h. Ber. ed. 2. II. 56.

Juxta Linkii diagnosim caulis superne muricatus; petioli subnudi; foliola valde decrescentia, ovalia, obtusa, serrata, glabra; pedunculi glandulosi; urceolus oblongus, nudus, sepalae margine tomentosae.

Patria ignota. Affinis sine dubio R. majali et sim. T.

ROSA *fluviàlis. Müller.*

R. urceolis depresso-globosis, pedunculis bracteas superantibus petiolisque glabris, foliolis ovato-lanceolatis simpliciter serratis, acutis, aculeis rarioribus, stipularibus et sparsis. T.

Rosa fluvialis. Müll. in flor. Dan. V. t. 868.

Aculei recurvi. Foliola parva, late ovata, acuminata, parumper discoloria, terna et quina. Pedunculi subsolitarii, plerumque cernui, bracteam subtruncatam, convolutam jam ante floris expansionem excedentes. Segmenta non spatulata, sed tenuissime pinnatifida, longissima. Corollae majusculae, medio albae, extus roseae.

A multis pro mera R. cinnamomeae varietate habetur, a qua tamen differt foliolis late ovatis, acuminatis, aculeis sparsis recurvis, et urceolis magnis, utrinque depresso-globosis. T.

SERIES XVIII.

ANDREWSIANA.

Rami juniores hispido-aculeatissimi; segmenta calycis subulata, longissima; foliola oblonga.

Species: R. Redoutea. Thory. R. nitida. Willd. R. coruscans. Wz. R. rubrispina. Bosc.

ROSA *Redoutèa. Thory.*

R. urceolis depresso-globosis, pedunculisque glanduloso-hispidis, foliolis oblongis ovato-lanceolatis, utrinque glabris, simpliciter serratis, lucidis; petiolis glabris subinermibus; aculeis caulinis inaequalibus, rectis, numerosissimis, foliis 4jugis. T.

Rosa Redoutea Thory in Rosa Redoutea. (Monogr. Par. 1817 in 8vo.)

Rosa Redoutea rubescens. Thory ap. Red. Ros. I. 102. Red. Ros. I. 103. c. ic.

Rosa blanda. Andr. Ros. fasc. 18. Pursh fl. Am. sept. ed. 2. I. p. 344.

Frutex 2—3pedalis. Rami flexuosi aculeis muniti numerosissimis rectis, subaequalibus, rufis. Folia (praeter suprema 4—5juga; petioli rubri, rarius aculeolati. Stipulae serrulatae. Flores saturate rosei, leviter suaveolentes, laterales, in ramulis terminales, plerumque gemini vel terni. Totus calyx hispidissime glandulosus. Laciniae integrae in longum mucronem productae. Fructus globosi intense rubri (non glanduloso hispidi ?).

Hab. in America boreali. Nomen in memoriam meritissimi pictoris parisini P. J. Redoutée, plurium operum botanicorum maximi momenti editoris.

Cell. Thory l. c. huic speciei duas varietates subordinat, quae ne quidem americanae videntur. Unam harum appellat R. R. glaucam (v. Red. Ros. I. p. 101. c. ic.) et haec procul dubio pertinet ad seriem R. pimpinellifoliae. Altera vocatur R. R. parvifolia et multo magis R. Candolleanae affinis est quam R. Redouteae. Priorem appellavi R. castam, posteriorem R. parvifoliam. T.

ROSA *nitida. Willd.*

R. germinibus (urceolis) globosis, calycibus, pedunculis, ramisque hispidis, foliolis oblongo-lanceolatis, utrinque nitidis, glaberrimis. Willdenow.

Rosa nitida. Willd. Enum. h. ber. I. 544. Pursh Fl. Amer. sept. ed. 2. I. 344. Poir. Encycl. Suppl. IV. 711. Lindl. Ros. no. 9.

Rami, pedunculi, calycesque hispidi. Folia 3-juga, foliolis utrinque nitidis, petioli inermes, pilosiusculi; stipulae integerrimae; corolla rubra; petala emarginata; fructus globosi, subhispidi, phoenicei.

Valde affinis R. Redouteae, seu R. blandae Andrewsii, uti etiam R. rubrispinae; tamen sufficienter diversa foliis 2—3jugis, stipulis integerrimis, floribus solitariis etc.

Hab. in Pensylvania et Virginia. Floret a Junio ad Augustum. ♉.

ROSA *coruscans. Waitz.*

R. tubo calycis (urceolo) globoso, pedunculoque glabriusculo, segmentis subappendiculatis, petiolis pubescentibus, foliolis ellipticis, glabris, grosse serratis, lucidis; ramulis aculeatissimis; caule ramisque setigeris; armis inaequalibus, rectis, confertissimis; fructu pyriformi calyce coronato. Waitz.

Rosa coruscans. Waitz in litt. et Link Enum. hort. berol. ed. 2. II. 57.

Frutex 3—4pedalis, surculis rectis, validis. Aculei inaequales, recti, confertissimi, rufescentes. Stipulae latae, grosse serratae. Petioli villosi, ramulorum florentium inermes, surculorum aculeati. Folia inodora 4-juga, foliolis ellipticis, simpliciter serratis, nitidis, glabris, nervo intermedio subtus pubescente. Pedunculi glabriusculi, vel hispidi, demum apice incrassati, coccinei. Urceolus globosus, glaber vel hispidus, segmentis calycinis subappendiculatis, dorso setosis. Flores magni, saturate rosei. Fructus magnus, pyriformis, coccineus, calyce coronatus. Waitz.

Patria ignota, Waitz putat Caucasiam. Affinis R. Redouteae, nitidae et sim.

ROSA *rubrispina. Bosc.*

R. germinibus (urceolis) aculeatis, subglobosis; foliolis quinque-septenisve, ellipticis, obtusis, glabris, serratis; ramis pedunculisque aculeis minimis, rectis munitis; floribus subsolitariis, laciniis calycinis margine piloso-glandulosis. Poiret.

Rosa rubrispina. Bosc. Dict. — Catal. hort. Paris. Poiret Encycl. Suppl. IV. 715.

Aculei ramorum et pedunculorum recti, subulati, inaequales, admodum breves, eleganter rubri, unde hic color se saepe usque ad caules, pedunculos, calyces, imo ipsa denique in folia propagat. Folia 2, saepius 3juga, foliolis ellipticis, glabris, supra sublucidis, plerisque obtusis, pollicem et ultra longis, irregulariter serratis. Flores communiter solitarii; pedunculi axillares, uniflori, rubri, aculeato-hispidi. Calycis laciniae lanceolatae, acuminatae, apice subulatae, margine glanduloso-ciliatae. Urceoli magis globosi quam ovati, praesertim basi, sed berviter aculeati. Flores rubri.

Hab. in America septentrionali. ♉.

Affinis R. nitidae, Redouteae et similibus.

SERIES XIX.

PURSHIANA.

Foliola ternata; aculei stipulares; stipulae perangustae, parum connatae.

Species: R. cucumerina. T. R. hystrix. Lindl. R. nivea. De Cand. R. laevigata. Mich. R. evratina. Bosc. R. rubifolia, Pursh. R. fenestrata. Donn.

ROSA *cucumerina*. T.

R. urceolis turbinatis maximis hispidis, columella pistilli elongata, foliis ternatis exstipulatis integerrimis, caule, pedunculis, petiolis, nervisque dorsalibus foliolorum copiose aculeatis; aculeis parvis, majoribus recurvis. T.

In Iconibus plantarum sponte China nascentium, e bibliotheca Braamiana excerptis depicta est haec Rosa, ut ceterae plantae omnes absque omni commentatione ac nomine, ad specimen ab artifice chinensi in patria plantae ad naturam elaboratum. Quatenus haec icon fidem meretur, species est ab omnibus usquedum cognitis distinctissima seriem propriam constituens, etsi in quibusdam characteribus cum R. sempervirenti, in aliis cum R. nankinensi et iterum aliis cum R. nivea conveniat. Describam ad iconem.

Caulis fructicosus cortice nigro; rami flexuosi, scandentes, caesio-purpurascentes, apice virides, copiose aculeati, aculeis parvis, nigricantibus, inferioribus majoribus recurvis, sparsis; ramuli alterni, floriferi. Folia exstipulata, omnia ternata, foliolis ovatis attenuatis, utrinque viridibus, costa dorsali copiose aculeatis, margine integerrimis, omnibus petiolatis, lateralibus minoribus, terminali bipollicari. Flores solitarii, pedunculis aculeatis ebracteatis; urceolus supra basin constrictus, tum turgidus campanulatus, longitudinaliter sulcatus, hispidus; laciniae brevissimae, patulae, integerrimae, lanceolatae, ciliatae. Corolla sat magna, alba, centro viridescens; petala irregulariter emarginata. Styli in columellam longam, gracilem coaliti. Flore jam deciduo urceolus impraegnatus ingens et fructum immaturum Cucumeris referens, maturitatis stadio omnium Rosarum maximum promittere videtur. Maxime affinis videtur R. hystrix Lindl. T.

ROSA *hystrix. Lindl.*

R. urceolis ovatis pedunculisque hispidissimis, foliis ternatis, foliolis ovatis, simpliciter serratis, supra nitidis subtus aculeatis; fructu violaceo aculeatissimo, sepalis concoloribus aculeatis coronato. T.

Rosa hystrix. Lindl. Ros. no. 74. t. 17.

Rami viridescentes, flagellares, armati numerosis aculeolis strictis, rigidis inaequalibus, intermixtis aliis multo rarioribus, majoribus subuncinatis, vetustiores cicatrisati. Folia longe petiolata; stipulae exiles, semiadnatae, apicibus liberis deciduis notabiles cicatrices relinquentibus; petioli glabri, armati aculeis paucis falcatis; foliola pleraque ovata, plana, nitida, simpliciter serrata, pedicellata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, costa dorsali aculeata. Bracteae nullae; pedunculus et fructus magnus violaceus hispidi aculeis setisque copiosissimis acicularibus; sepalae persistentes rigidae, convergentes, ovatae, acuminatae, fere integrae, armatae aculeis strictis; gracilibus, partim margini adhaerentibus, disco planiusculo, convexo, carnoso; styli persistentes, inclusi. Flores magni (albi?).

Hab. in Chinae provincia Kiangsi (lecta a Staunton) et in Japonia (ad specimen in bello gallico expugnatum, et in herbario Lambertiano conservatum; forte R. canina Thunb.?) Affinis sine dubio R. niveae et cucumerinae. T.

ROSA *nivea. D. C.*

R. calycum tubis (urceolis) ovatis, subhispidis, pedunculo glabriusculo foliis breviore, solitario, foliolis 3, rarius 5, lanceolatis, lucidis, perennantibus, subtus petiolisque aculeatis, foliis in apice ramulorum sub flore congestis. De Candolle.

Rosa nivea. D. C. Cat. hort. monsp. 137. no. 181. Poiret Encycl. Suppl. IV. 713. Red. Ros. II. p. 81. c. ic.

Rosa ternata. Poir. Encycl. VI. 284.

Rosa Macartnea. Dum. Cours. Bot. Cult. ed. 1. III. 351.

Rosa sinica. Ait. h. k. ed. 2. III. 261. excl. Synon. Lindl. Ros. no. 71. t. 16.

Frutex juxta D. C. vix 2, juxta Thory ap. Red. l. c. 10—15pedalis et ultra. Rami virgati, armati aculeis sparsis, compressis, validis, falcatis. Folia copiosa, alterna, foliolis ternatis, lanceolatis, simpliciter serratis, supra nitidis, utrinque glaberrimis, mediocribus; petiolis sparsim aculeatis; stipulis linearibus, divergentibus, profunde divisis, margine serrulato-glandulosis, minimis. Pedunculi solitarii in ramulorum summitatibus laterales, terminalesque, uniflori, foliis breviores, basi glabri, apice glanduloso-hispidi. Flores magni, inodori, nivei. Urceoli obovati, glanduloso-hispidi. Laciniae calycis subhispidae, integerrimae. Petala subcrenulata, non emarginata. Styli liberi, villosi, in capitulum convexum coaliti; fructus magnus aurantiacus, hispidus, calyce coronatus.

Hab. in China. Valde quidem affinis R. laevigatae Michauxii, differt tamen aculeis sparsis, stipulis non subulatis, urceoli aculeis longis deficientibus. Planta chinensis bene nota, americana adhuc dubia. Rosa ternata Poir. autem est absolute eadem. A quibusdam R. nivea confunditur cum Rosa sinica; ab aliis cum R. bracteata. Sed comparatio definitionum et observationum docet esse penitus diversas species.

ROSA *laevigàta. Mich.*

R. glaberrima, subgeminatim aculeata; foliis 3—5; foliolis subenerviis; stipulis angustis, mucronibus subulatis: calyce ovato, promisse hispidissimo, laciniis integris. Michaux.

Rosa laevigata. Mich. fl. bor. amer. I. 295. Pursh. fl. Am. sept. ed. 2. I. 345. Nuttal North-Amer. I. 308. Poiret Enc. VI. 295. Lindl. Ros. no. 70.

Aculei in ramis passim geminati, recurvi; uno in petiolis: foliola lanceolato-ovalia, laevigata: calycis tubus (urceolus) spinis gracilibus longisque hispidus. Mich.

Hab. in sylvis Georgiae. An sempervirens? Altissime scandet. v. v. sine flor. Pursh.

Quantumvis incompletae hae notiones, tamen apparet, plantam esse R. niveae atque curatinae maxime affinem, sed tamen etiam pro specie sufficienter diversam aculeorum dispositione, stipulis et urceolo. In Musaeo Caes. Regio Viennae conservatur specimen a defuncto Enslenio lectum, cui ab una manu nomen R. laevigatae Mich. ab alia: R. fenestratae (fenestralis Noisette?) adscriptum, et quod sequentia exhibet.

Caulis fructicosus (scandens) teres, glaber, viridescens, raro aculeatus, aculeis mediocribus uncinatis, compressis, basi valde dilatatis, plerisque substipularibus. Ramuli breves patentes, foliiferi. Stipulae liberae, lineares, divergentes, pectinato-ciliatae, ciliis saepe apice glanduliferis. Petioli et costa foliorum dorsalis aculeata. Folia omnia ternata; foliola elliptico-lanceolata, pedicellata, terminali lateralibus duplo majori $1\frac{1}{2}$ ad 3 pollices longo $\frac{2}{3}$ — 1 poll. lato, utrinque glaberrima, subcoriacea, supra viridia, subtus ferruginea, argute et tenuiter serrata, acuminata. Bractea nulla. Pedunculi 1 — $1\frac{1}{2}$ poll. longi, inferne nudi, superne hispidi. Urceolus turbinatus, atrosanguineus hispidissimus, setis longis, flexuosis, flavicantibus, apice subglandulosis. Laciniae cal. inaequales, aliis simplicissimis, brevioribus, tomentosis, aliis longioribus, spatulatis, uno alterove denticulo munitis, glabris. Corolla maxima (major quam in R. pumila vera. Petala subrotunda, rosea, margine denticulata, emarginata; styli vix emergentes hispidi; stigmata plurima in capitulum connexa, capitata, pubescentia. Fructus oblongus ruber, muricatus aculeis rigidis, sepalis coronatus.

ROSA *evratina. Bosc.*

R. germinibus (urceolis) ovatis hispidissimis; ramis petiolisque subinermibus; foliolis quinatis ternatisve; pedunculis hispidis, fasciculato-subumbellatis, terminalibus. Poiret.

Rosa evratina. Bosc, Dict. — Desf. Cat. hort. Par. 273. Poiret in Encycl. Suppl. IV. 714. Lindl. Ros. no. 85.

Affinis R. multiflorae, magis tamen R. albae, forma foliorum. Caulis rami et petioli communiter nudi et glabri; foliola majuscula, ovalia, obtusa, subaequaliter serrata, subtus paullisper glaucescentia; stipulae integrae in duos dentes subulatos productae; flores plerumque terminales, umbellati; pedunculi et basis calycis glanduloso-hispidi; laciniae cal. integrae, longe subulatae; corollae sat magnae, pallide-rubrae. Poiret l. c.

Hab. in Carolina, et colitur in pluribus hortis europaeis. ♉. Nomen, ut apparet, ab ευ mite, bonum, bellum et ῥαδινος gracilis, tenuis, mollis.

Affinitatem cum R. alba et multiflora minime intelligo; ego potius video affinem esse R. laevigatae et niveae.

ROSA *rùbifolia. Pursh.*

R. germinibus (urceolis) globosis pedunculisque hispido-glandulosis; caule aculeis sparsis, substipularibus; foliolis supra glabris, subtus tomentosis, inaequaliter dentatis; stylis in columnam elongatam coalitis; fructibus minimis, globosis. Thory.

Rosa rubifolia. Pursh Fl. Am. sept. I. 345. Ait. h. k. ed. 2. III. 260. Poiret Eucycl. Suppl. IV. 714. Red. Ros. III. 71. c. ic.

Frutex 3—4pedalis. Rami armati aculeis rubentibus parvis, recurvis, sparsis, saepius stipularibus. Folia 1—2juga cum impari, vel et semijuga; foliola glabra, supra laete viridia, subtus pallidiora et tomentosa, mollia, rugosula, inaequaliter dentata; petioli glandulosi, aculeis raris minutis muniti; stipulae erubentes, apice bifidae, margine denticulatae. Flores terminales in ramulis, aggregati, cymosi. Pedunculi elongati, uti et urceoli globosi, glanduloso-centematosi, ad basin bracteis elongatis, nonnunquam foliaceis, margine glandulosis suffulti.

Sepalae breves, hinc inde una alterave pinnula filiformi appendiculatae, extus glandulosae, intus obiter tomentosae. Petala (magnitudine R. collinae) pulcherrime rosea, tandem depallida, apice emarginata cum mucrone s. apicula centrali. Stamina numerosissima. Styli uniti in columnam glabram veluti in R. arvensi. Thy.

Hab. in America boreali. Fl. Junio et Julio. Detexit Masson. R. rubifolia β. fenestralis Lindleyi est R. fenestrata, Donn. sane diversa species! nec R. rubrifolia, uti cell. Steudel conjecturat. T.

ROSA *fenestràta.* *Donn.*

R. urceolis globosis, sepalis pedunculisque glabris, aculeis minutis sparsis, foliolis lanceolatis utrinque glabris, stylis tomentosis. T.

Rosa fenestrata. Donn. Cat. h. cantabr. ed. 8. p. 170.

Rosa rubifolia β. fenestralis. Lindl. Ros. p. 123. t. 15.

Frutex 3pedalis, rami glabri, sparse aculeati, aculeis minutis recurvis, nec stipularibus. Stipulae minimae lineares, apice divaricatae; petioli glabri, vix aculeati. Foliola ternata, uno saepius impari laterali ad basin folii, utrinque glabra, ovato-lanceolata, oblonga, remote serrata. Flores parvi, (magnitudine Rubi fruticosi) solitarii, breviter pedunculati; pedunculi et calyces glabri. Sepalae simplices, ovatae, acuminatae, reflexae, caducae: styli in columellam clavatam coaliti, tomentosi. Fructus magnitudine pisi, globosi, nudi, glabri.

Hab. in America septentrionali. Differt a R. rubifolia a.) aculeis sparsis, nec stipularibus; b.) pedunculis calycibusque glabris; c.) sepalis integerrimis; d.) floribus solitariis 4plo minoribus; e.) stipulis minimis; f.) foliolis oblongo-lanceolatis; g.) stylis tomentosis. T.

SERIES XX.

WENDLANDIANA.

Flores brevissime pedunculati, pedunculis, urceolisque involucratis; aculei stipulares; foliola utrinque glabra, parva; flores magni, solitarii.

Species: R. bracteata. Wendl. R. Lindleyana. T. R. Lyellii. Lindl.

ROSA *bracteàta. Wendl.*

R. urceolis pyriformibus, sericeïs, bracteatis, bracteis pinnatifidis lyratisque, stipulis pectinatis, floribus solitariis, subsessilibus, caule aculeato et hispido, foliolis utrinque glabris, obovatis, obtusissimis, crenato-dentatis, coriaceis, subspinosis. T.

Rosa bracteata. Wendland Obs. n. 50. Ej. hort. herrenhus. t. 23. Vent. Jard. de Cels no. 28. Sims. Bot. Mag. 1377. Jacq. Fragm. bot. p. 30. t. 34. f. 2. Willd. Sp. pl. II. 1079. Ait. h. k. ed. 2. III. 267.

Rosa lucida. Miss. Lawr. Ros. t. 84. Andr. Ros. fasc. 13.

Frutex quadripedalis. Aculei stipulares, recurvi, geminati; folia 2—5juga, petiolo aculeato; flores solitarii, magni, albi, bracteis elegantissimis involucrati, bractea infima non raro lyrata, i. e. foliolo integro terminata. Calycis laciniae ovatae, acuminatae, integerrimae, villosae. Fructus desideratur.

Hab. in China, unde adlata per L. Macarthney, quare etiam a quibusdam hortulanis R. Macartnea nominatur. Interim R. Macartnea Dum. Cour. est. R. nivea Dec. Aitonio praesens vocatur Sir G. Stauntons Rose.

ROSA *Lindleyàna.* T.

R. urceolis ovatis, involucratis, pedunculis brevissimis, ramulisque villosis; aculeis subrecurvis geminatis, stipularibus et extrastipularibus; stipulis solutis subulatis, foliolis glabris ellipticis, obtusiusculis, argute serratis. T.

Rosa bracteata. Red. Ros. I. p. 35. c. ic.

Rosa involucrata. Bibl. Braam. Lindl. Ros. no. 5.

Caulis fruticosus repens, scandensve, ramuli livide purpurascentes, armati aculeis sat validis semper geminis, atrosanguineis, subrecurvis, stipularibus et extrastipularibus. Petioli aculeolis sparsis muniti; stipulae laxae, subulatae, penitus dissolutae; foliola (in foliis 3—5jugis cum impari) elliptica (in culta etiam nonnulla obovata) oblonga, serrata, saturate viridia, supra lucida, utrinque glabra. Flores quandoque solitarii, alia vice gemini vel ad 5 collecti, umbellati; pedunculi brevissimi, bracteae serratae, et urceoli a bracteis cooperti caesio-velutini. Petala alba, obcordata, vix emarginata cum rudimento acuminis. Flores odorati. Planta in tepidario sempervirens. Sub dio hiemes nostras sustinere dicitur.

Hab. in imperio chinensi, nec non in uliginosis nepalensibus. Differt apertissime a R. bracteata stipulis subulatis nec fimbriatis, foliolis serratis nec crenatis, bracteis integris serratis nec cristatis, petalisque vix emarginatis cum acumine. Etsi in opere Redouteano ex praesumtione quaedam corrupta et a vera R. bracteata in hanc translata esse videntur, tamen comparatio quemlibet convincet, hanc non esse R. bracteatam, sed speciem diversam et quidem eandem, quae in Bibliotheca Catt-leyana Londini, olim Braamiana, in icone chinensi originali asservatur, de qua nuperrime delectus 30 speciminum, absque omni commentatione, sub titulo: Icones plantarum sponte China nascentium e Bibliotheca Braamiana excerptae: Londini 1821 in fol. editus fuit, editore Lindleyo. T.

ROSA *Lyèllii. Lindley.*

R. urceolis globosis, pedunculis, et calycis laciniis tomentosis; floribus cymosis; bracteis linearibus, integris, non involventibus; stipulis inciso-pinnatifidis, villosis, foliolis elliptico-lanceolatis, simpliciter serratis, glabris. T.

Rosa Lyellii. Lindl. Ros. no. 8. t. 1.

Frutex parvus habitu R. bracteatae. Rami dense villosi, absque setis. Aculei geminati, substipulares, stricti. Folia aggregata, plana; stipulae villosae, adnatae, glandulis sparse ciliatae, inciso-pinnatifidae; petioli tomentosi, paucis minutisque aculeolis uncinatis muniti; foliola 7, elliptico-lanceolata, nitida, simpliciter serrata, praeter costam dorsalem utrinque glabra. Flores cymosi; bracteae a calyce longe distantes, lineares, erectae, pilosae, integrae; pedunculi elongati piloso-glandulosi. Urceolus et laciniae calycis subsimplices corolla breviores, tomentosae. Petala stamina et pistilla ut in R. bracteata.

Hab. in Nepalia, unde a Dre Wallich Praesidi Banksio missa fuit. Nomen triviale in venerationem Car. Lyellii Armig. botanices anglicanae, praesertim cryptogamicae peritissimi, et Lindleyi praecipui fautoris. Affinis sine dubio R. bracteatae.

SERIES XXI.

LINDLEYANA.

Aculei maximi, sparsi, substipulares; foliola obtusa, subtus tomentosa: flores solitarii: styli prominentes, conferti, liberi.

Species: R. Wallichii. T. R. microphylla. Roxb.

ROSA *Wallichii.* T.

R. urceolis oblongis pedunculisque glabris, petiolis aculeatis, aculeis ramorum maximis substipularibus compressis, incurvis, rectis, recurvisque; foliolis ellipticis, obtusis, subtus sericeis, sepalis integerrimis, subulatis; stylis liberis in columellam congestis. T.

Rosa sericea. Lindley Ros. no. 57. t. 12.

Rami brunnei, rigidi, stricti, adultiores admodum rugosi. Aculei maximi, compressi, (saepius) sursum directi, s. adscendentes, substipulares. Folia insigniter rigida; stipulae elongatae, angustae, concavae, glabrae, margine fimbriatae vel nudae, apice falcato-dilatatae; petioli tenues, tomentosi aut glabri, inermes vel armati setis debilibus, aculeolisve strictis, basi dilatatis; foliola 7—11, oblonga, planiuscula, flaccida, supra viridia glabra, subtus pallidiora, ad nervos tomentosa, obtusa et apice tantum simpliciter et duplicato-serrata, serraturis argutis; petiolus in plurimis speciminibus ultra consuetudinem elongatus. Flores solitarii, concavi, ebracteati (nisi folium florale pro bractea sumas) erecti vel nutantes; pedunculi calycesque glabri, nudi; urceolus ovatus; sepalae ovatae in longos mucrones, tenuissime pubescentes productae.

Hab. in Gossam Than, in India orientali, cum R. macrophylla; utraque detecta a cell. Dre. Wallich, cujus praeclarum nomen huic speciei tribuendum putavi. Propriam seriem constituit. A serie Rauiana recedit stipulis et aculeis; a Willdenowiana habitu stricto, floribus solitariis et foliolis subtus tomentosis; a ceteris stylis prominentibus subcoalitis. T.

ROSA *microphylla. Roxb.*

R. foliolis ovatis minoribus, bracteis adpressis pectinatis, fructu aculeato. Lindley.

Rosa microphylla. Roxb. fl. Ind. ined. Lindl. Ros. no. 6. et in Add. p. 145.

Verosimiliter planta minor R. bracteata, a qua fructu aculeato, et foliolis ovatis, obtusis differt. In icone picta collectionis Colebrookeanae, ubi Lindley hanc speciem viderat, flores erant duplices, pulcherrime rosei. Idem narrat, se olim vidisse fragmenta Rosae in horto ill. Lord Suffield in Blickling Norfolkiae cultae, quam putat eandem speciem fuisse; perinde sperat, ejusdem promulgationem et diagnosim mox secuturam.

Hab. in imperio chinensi et affinis habetur R. bracteatae. In Addendis Lindleus dicit, esse proxime affinem R. suae sericeae. (R. Wallichii nob.) T.

SERIES XXII.

THORYANA.

Inermes, foliolis plerumque oblongis duplicato-serratis; flores solitarii; fructus anomali.

Species: R. fraxinifolia. Borkh. R. alpina. L. R. pyrenaica. Gouan. R. Wulfenii. T. R. lagenaria. Vill. R. Portenschlagiana. T. R. pendulina. Ait. R. Andreusii. T. R. Villarsii. T. R. hispida. Krock. R. corymbosa. Bosc. R. Montezumae. Humb. Bonpl.

ROSA *fràxinifòlia.* Borkh.

R. urceolis globosis, pedunculisque glabris, foliolis elliptico-lanceolatis (magnis) snbduplicato-serratis, utrinque glabris, petiolis glabris, aculeatis, caule subinermi. T.

Rosa fraxinifolia. Borkhaus. Forstbot. II. 1308. No. 474. Bechstein Forstbot. p. 239. no. 144. et p. 1029. no. 109. Diar. bot. Flora dict. ann. 2. II. p. 565.

Rosa alpina laevis. Desv. Journ. bot. a. 1813. p. 119. var. χ. Red. Ros. I. p. 59. c. ic.

Frutex 4—5pedalis, ramis elongatis, adultis colore cinnamomeis. Aculei, recti vel subadunci, veluti in Rosa blanda, nonnisi in truncis primordialibus adsunt, et tandem penitus evanescunt. Folia ternata, et 2—4juga, foliolis maximis, ellipticis, simpliciter vel etiam, praesertim apice duplicato-serratis, utrinque glaberrimis, praesertim subtus glaucescentibus. Flores modo solitarii, modo ad 3, 4, cymosi, terminales, axillaresque, rosei, suaveolentes. Urceolus globosus, et laciniae calycis integerrimae elongatae, corolla fere longiores, apice subspatulatae, extus et margine subpubescentes. Styli distincti. Fructus parvus globosus, primo ruber, tandem, maturitate perfecta atropurpureus, nitidus.

Hab. in subalpinis Germaniae australioris atque Galliae. Valde quidem affinis R. alpinae, sed magis tamen diversa quam R. pyrenaica, pendulina et lagenaria. Cave ne confundas cum R. fraxinifolia Du Mont-Courset, quae R. rapa, neque cum R. fraxinea Willd. quae species adhucdum dubia est.

ROSA *fraxinifolia parviflora.*

Distinguitur foliolis obovatis, floribus duplo minoribus, calycis segmentis corolla longioribus, petalis non emarginatis, sed rotundatis, in specimine Redouteano elegantissime purpureo-striatis, Dianthi Caryophylli more. T.

Patria et origo ignoti. Nollem sane pro mera R. alpinae varietate declarare. Sed ad fraxinifoliam omnino accedit foliolis maximis, oblongis, glaucescentibus, firmioribus. Petalis maxime recedit. Pro specie declarare non audeo. R. fraxinifolia certe magis aemulatur R. blandam quam R. alpinam; quis autem putet R. blandam et alpinam esse unius ejusdemque speciei? T.

Icon in Red. Ros. T. II. ad pag. 55. sub nomine R. alpinae flore variegato.

ROSA *alpina. L.*

R. urceolis pedunculisque glabris, raro hispidulis, foliolis glabris, inaequaliter vel duplicato-serratis, laciniis calycis integris, elongatis, ramis ramulisque inermibus. T.

Rosa alpina. Willd. Sp. pl. II. 1075. Ait. h. k. ed. 2. III. 265. Jacq. Fl. austr. III. 279. Miss Lawr. ros. 30. Red. Ros. II. p. 111. c. ic.

Frutex 3—4pedalis, ramis elongatis, diffusis, glabris, inermibus. Quandoque tamen, sed rarissime unus alterve aculeolus ad basin observatur. Folia 3—4juga, foliolis mediocribus, ovalibus, ovatisve, plerumque acutiusculis, utrinque glabris, duplicato-serratis. Petioli subhispidi, plerumque aculeolati. Stipulae denticulatae, apice divaricatae. Flores subsolitarii, vel gemini in ramulis lateralibus terminales. Pedunculi et calyces plerumque glabri, nonnunquam tamen plus minus glanduloso-hispidi. Laciniae calycis valde elongatae, nonnunquam spatulatae. Fructus ovati, vel et subglobosi, rarissime subhispiduli, purpurei.

Hab. in alpibus, praesertim vero in subalpinis Austriae, Germaniae, Helvetiae, Galliae. Est mater plurium speciorum recentiorum, quae tamen constanter perdurant.

198. S. II. 25.

ROSA *pyrenàica. Gouan.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque hispidis coloratis, petiolis hispido-aculeatis, calycibus omnino foliosis. Gouan.

Rosa pyrenaica. Gouan. Illustr. 31. t. 19. Willd. Sp. pl. II. 1076. Jacq. hort. Schoenbr. IV. p. 8. t. 416. Guimpel deutsch. Holz. I. p. 123. t. 93.

Rosa hispida. Krock. fl. siles. no. 783.

Rosa alpina β pyrenaica. Pic. de Lapeyrouse hist. des pl. pyr. p. 285.

Caulis frutescens 4pedalis, ramosissimus, inermis, teres (in icone quadrangularis), glaber, erectus. Rami glabri, inermes. Folia alterna, petiolata, pinnata, plerumque trijuga cum impari. Petioli hispidi. Foliola petiolis propriis brevissimis hispidisque suffulta, ex oblongo-ovata, argute serrata, (in icone ovalia, inaequaliter, obtuseque dentata) supra glabra, subtus ad lentem obiter hispidula, ad oras pilis brevibus capitatis rarisque ciliata, dentibus ipsis saepe serrulatis. Stipulae petiolares, oblongae, argute serratae, acuminatae. Pedunculi uniflori, terminales, hispidi, patuli, in fructu fuscescentes. Calycis foliola quinque, lanceolata, concava, in longam cuspidem abeuntia, integerrima, patentissima, petalis fere longiora, pilis capitatis ciliata, caeterum glabra. Petala 5, subrotunda, rubra, ad unguem pallida. Germen (urceolus) ovatum, hispidulum. Fructus oblongus, etiam ovatus (imo in icone etiam globosus) glaber (in icone basi hispidulus) coccineus, pendulus. Jacq. l. c.

Hab. in subalpinis pyrenaicis, helveticis et silesiacis. Valde affinis R. alpinae, et a pluribus pro mera ejusdem varietate declaratur. Sed qui tam stricte species dijudicant, centum ad minimum alias quoque ex consequentia debent e numero nostrarum et a plurimis agnitas delere species. T.

ROSA *Wulfenii. T.*

R. urceolis subglobosis coloratis glabris, pedunculis solitariis brevibus, hispido-glandulosis; foliolis ellipticis subduplicato-serratis, utrinque glabris; stipulis biauritis, ramulis et petiolis aculeatissimis. T.

Statura R. pyrenaicae, sed aculei numerosissimi, graciles, subaequales, albicantes, aliique recurvi. Stipulae apice bifidae auriculis longis terminatae, glaberrimae, glandulis ciliatae. Petioli longi, graciles, glabri copiosis aculeolis rectis et glandulis pedicellatis muniti; hi aculeoli usque ad nervos primarios ultimi paris et folioli terminalis continuantur. Foliola elliptica, rarius ovata, pollicem et ultra longa, semipollicem lata, subtus glaucescentia, argute et saepissime duplicato-serrata, eglandulosa, glaberrima. Bractea lanceolata, utrinque glaberrima, glandulis ciliata. Pedunculus pollicaris, basi nudus, deinde totus hispido-glandulosus. Urceolus gracilis, globoso-ellipticus, glaberrimus, fusco-purpureus. Segmenta calycina, petalis fere longiora, linearia, spatulata, extus glanduloso-hispida, intus basi et margine albo-tomentosa. Corolla mediocris, petala repanda, alba.

Vidi in herbario Musaei caes. reg. vindobon. lectam a b. Wulfenio in alpe Prax, sub nomine R. spinosissimae. Simillima R. pyrenaicae, sed differt caule aculeatissimo, urceolis glaberrimis subglobosis, foliolisque obtusis, glaberrimis eglandulosis. Ceterum in herbario dicto adsunt specimina intermedia, scilicet caule hispido-aculeato, aculeis basilaribus retrorsis, aculeis solitariis substipularibus rectis et incurvis; foliolis minoribus ad nervos pubescentibus, dentibus glandulosis, pedunculo, et toto calyce glabro, et vice versa ipso urceolo glandulose-hispidissimo, floribus sessilibus, laciniis corolla longioribus e. s. p. an itaque fortasse ipsa R. Wulfenii mera R. pyrenaicae varietas? T.

ROSA *Wulfenii rubra.*

Distinguitur foliis minoribus, foliolis glanduloso-ciliatis, urceolis ovato-oblongis, petalis saturate roseis. T.

In Carinthiae monte Nanas legit cel. Prof. Jan. Vidi siccam in herbario Dni. Francisci a Portenschlag. Est sine dubio mera R. Wulfenii varietas, sed caute distinguenda ob notas characteristicas vere singulares. Folia, ramuli et calyces rubent. T.

ROSA *lagenària. Vill.*

R. germinibus (urceolis) obovatis, glabris, pedunculis petiolisque glanduloso-hispidis, caule inermi, foliolis ovalibus glabris. Willd.

Rosa lagenaria. Villars. fl. delph. III. p. 553. Willd. Sp. pl. II. 1075.

Rosa alpina coronata. Desv. in Journ. bot. 1813. p. 119. var. η. Thory in Red. Ros II. p. 56.

Frutex 3—5pedalis. Caulis et rami inermes; foliola minuta, elliptica, obtusula, duplicato-serrata; petioli subaculeati, glabri, nudi; pedunculi parumper hispidi, ternati, cernui; urceolus oblongus, apice angustatus; calycis laciniae magnae, glabrae, appendicibus, foliaceis terminatae; fructus penduli. Fructu et calyce praecipue differt a R. alpina, cui ceteroquin valde affinis est, magis adhuc ad R. pendulinam accedit, cui forte nimis propinqua est.

Hab. in Galliae provincia Delphinatu, in sylvaticis prope Boscodon. A R. stricta differt ramis inermibus, petiolis tantum subaculeatis, foliolis duplicato-serratis, floribus ternatis etc. T.

ROSA *Pòrtenschlagiàna. T.*

R. urceolis coloratis, ovatis, glabris, pedunculis brevissimis petiolisque aculeolatis, hispido-glandulosis, segmentis calycinis coloratis, subulàtis, alterne pinnatifido-appendiculatis, petalis duplo brevioribus, floribus alternis, solitariis, maximis, caule inermi. T.

Frutex ad avtopsiam ill. Dris. a Portenschlag 5—6pedalis. Rami, ramulique inermes, cortice glabro viridescente; ramuli alterni 2pollicares, plerique floriferi. Stipulae adnatae, apice divergentes et serrulatae, ceterum integerrimae, costa dorsali et margine glandulosae. Petioli undique glandulis stipitatis et subtus aculeolis minimis muniti. Folia omnia bijuga, summa ternata. Foliola pleraque elliptico-lanceolata, acuta, raro obtusa, subsessilia, argute duplicato-serrata, utrinque glabra, margine et costa dorsali saepius glandulosa, supra laete viridia, subtus cano-glaucescentia, maxima 1, minima ½ pollicem longa. Pedunculi vix semipollicares, setis glanduliferis aculeolisve hispiduli. Bracteae propriae vix adsunt, sed folia floralia cum stipulis pedunculi basin involventes. Urceoli glabri, vel infima tantum basi subhispidi, graciles, collo contracti, atropurpurei, ceterum ovati; segmenta calycis, extus glabra, intus et margine tomentosa, versus apicem dorso glandulosa, 3 pinnatifida, 2 integerrima, subulata, raro subspatulata. Corolla plus quam 2-pollicaris rosea. Petala profunde emarginata; stigmata in fauce coadunata, tomentosa. Fructum non vidi. T.

V. s. in herbario Dni. Francisci a Portenschlag Juris utr. Doctoris et Botanici indefessi, de nostra arte meritissimi. Proxime affinis videtur R. lagenariae.

ROSA *pendulina. Ait.*

R. inermis, germinibus (urceolis) oblongis, pedunculis petiolisque hispidis, caule ramisque glabris, fructibus pendulis. Aiton.

Rosa pendulina. Ait. h. k. ed. 1. II. 208. Ej. ed. 2. III. 265. Willd. berl. Baumz. p. 322. Ej. Sp. pl. II. 1076. Miss Lawr. Ros. t. 9. Dillen Elthan. 325. t. 245. f. 317. Pursh. Fl. Am. sept. ed. 2. I. 346.

Rosa alpina pendulina. Desv. Journ. bot. 1813. p. 119. Red. Ros. I. p. 57. c. ic.

Frutex 3—4pedalis; rami elongati, nudi. Folia 3—4juga, foliolis basi attenuatis, apice obtusis, ovalibus, duplicato-serratis, petiolis scabriusculis, stipulis magnis, apice dilatatis et serrulatis. Flores cernui, plerumque solitarii, pedunculis glanduloso-hispidis. Urceoli oblongi (rarius subglobosi) apice constricti, sub foecundatione parumper curvati. Laciniae calycis longissimae, apicibus spatulatae, intus et margine tomentosae. Styli brevissimi, liberi. Fructus lagenaeformes, rubri, penduli, glabri. Affinis R. alpinae; sed fructus distinctissimi. Multo magis accedit ad R. lagenariam Vill., quacum forte conjungi debebit?

Hab. in Gallia meridionali, nec in America septentrionali, ubi R. stricta cum illa commutata fuit. In herbario Dni Sauter vidi specimina fructibus centematosis et nudis, foliolis utrinque glaberrimis et subtus pubescentibus; in Austriae alpe Etscher lectam. T.

ROSA *Andreusii.* T.

R. urceolis ellipticis, calycisque segmentis oblongis integerrimis glabris; pedunculis petiolisque hispidis, caule inermi, foliolis subduplicato-serratis, glabris, subtus glaucescentibus, floribus lateralibus solitariis, saturate purpureis cernuis, fructibus pendulis. T.

Rosa inermis. Andr. Roses. fasc. 11.

Caulis laevis, debilis, flexuosus, ramulis undique lateralibus floriferis munitus, floribus superioribus axillaribus, alternis. Stipulae glabrae, lineares, apicibus divergentibus acuminatis; petioli glanduloso-hispidi; folia 3juga, foliolis parvis, ovato-lanceolatis, simpliciter, apice saepe duplicato-serratis, subtus glaucescentibus, utrinque glaberrimis.

Pedunculi (uti et petioli, rami, ramulique cum venis foliorum principalibus) purpurascentes. Calycis segmenta fere longitudine corollae, lineari-lanceolata, rubedine parca suffusa, integerrima. Corollae magnae, speciosae, saturate purpureae, extus paullo pallidiores; petala emarginata subconcava. Fructus penduli.

Patria ignota. Accedit quidem ad R. pendulinam, sed differt foliis constanter 3jugis, floribus lateralibus, segmentis calycis non spatulatis, stipulisque linearibus integerrimis, parvis, nec apice dilatatis, serrulatis. Ad hanc, non ad R. alpinam pertinet varietas Redouteo dicta R. alpina debilis. v. Red. Ros. T. III p. 15. c. ic. Differt solummodo floribus subaggregatis, et caule procumbente. T.

ROSA *Andreusii debilis.*

Distinguitur caule debili, procumbente, foliolis parvis, fere ut in R. pimpinellifolia, floribus majoribus, geminatis, pulcherrimis, e sanguineo-phoeniceis. T.

Origo occulta. Videtur in horto nata, saltem primum observata in horto Dni. Villemorin, in Gallia. Icon nitidissima apud Redout. in Ros. T. III. ad pag. 15.

ROSA *Villàrsii.* T.

R. germinibus (urceolis) ovatis, petiolis spinulosis, foliolis septenis argute serratis, acutis, pedunculis germinibusque (urceolis) hispidis, calycibus foliaceis serratis, petalis integris. Villars.

Rosa hybrida. Vill. fl. delph. III. 554.

Caule et fructificatione R. alpinae similis, sed foliola pauciora, acuta veluti in R. rubiginosa; styli villosi uti in R. montana, sed breviores, serraturae foliolorum profundiores; foliola utrinque glabra; flores solitarii, rubri, mediocri magnitudine; petala non emarginata, quod ecquidem characterem praecipuum constituit. Vill. l. c.

A Desvauxio, aliisque cum R. pendulina Ait. hircina. Desv. turbinata Vill. hispida Krock. glabra Desv. coronata Desv. et pyrenaica Gouan. pro mera R. alpinae varietate declaratur. Appellavi Rosam Villarsii, quia jam alia species adest, quae R. hybrida nominatur. Ob characterem singularem, etiamsi forte sit mera varietas, eam observare opportet.

Hab. in Delphinatu prope Connexe. Ad hanc multum accedere videtur R. pimpinellifolia inermis De Cand. Fl. Fr. no. 3697. vid. etiam Red. Ros. T. III p. 23. c. ic. ubi etiam petala vix emarginata sunt.

ROSA *hispida. Krock.*

R. urceolis globosis, pedunculisque hispidissimis; caule nudo, inermi; floribus solitariis, terminalibus, lateralibusque, cum foliis undique erumpentibus; foliis fasciculatis; calycis-laciniis glabris, intus albo-tomentosis. T.

Rosa hispida. Krocker Fl. sil. II. 152.

Caulis ulnaris et ultra, laevis, fragilis, ramosus. Flores per totum caulem diffusi, alterni, solitarii, cum foliis ex uno loco nascentes. Folia 3—4 ex una gemma fasciculata, non solitaria, 4-juga; foliolis inaequaliter serratis, versus basim decrescentibus, glabris, subtus pallidioribus, omni nitore destitutis. Stipulae pallidae, latissimae. Pedunculi unciales albo-hispidissimi, uti urceolus. Calycis laciniae extus glabrae, rubellae, aequales, non appendiculatae, corolla fere longiores, integerrimae. Petioli villosi, non aculeati.

Etsi Kockerus ipse hanc pro mera R. alpinae varietate exhibeat, tamen satis diversa videtur, ut adnotari, et futuris observatoribus strenue commendari debeat.

Hab. in Silesia. ♉. Oberva: R. hispida Poir. Enc. Suppl. IV. 715. est R. pallida T. porro R. hispida Münchh. Hausv. V. 281. no. 15. et Schrank baier. Fl. II. 41. est R. austriaca Crantz. R. hispida Simsii in Bot. Mag. no. 1570. est R. pallida. T. R. hispida Borkh. et Poir. Encycl. VI. 286. est R. Borkhausenii. T. R. canina hispida Desv. obs. 157. p. 5. est R. andegavensis.

Cell. Neygenfind in Flor. siles. sub tit. Enchirid. bot. p. 250. hanc pro R. pyrenaica declarat.

ROSA *corymbòsa.* *Bosc.*

R. subinermis, foliolis subseptenis, glabris, subtus albido-glaucescentibus, argute serratis; floribus corymbosis; germinibus globosis, glabris; foliolis calycis margine albidis, apice longe subulatis. Poiret.

Rosa corymbosa. Bosc. Dict. — Hort. paris. Catal. p. 172. Poiret in Dict. Encycl. Suppl. IV. 715.

Caulis ramosissimus, ut plurimum inermis; folia 2—3-juga, foliolis lanceolatis, obtusis, utrinque glabris, tenuiter serratis; flores corymbosi, vel umbellati, pallide rosei; urceolus minimus, globosus, glaberrimus; laciniae calycis subglandulosae, subulatae, integrae, corolla longiores, margine albido membranaceae. Affinis videtur R. alpinae.

Patria ignota. Colitur in hortis parisiensibus. Cave ne confundas R. corymbosam Breiteri, quae R. perfecta Wredei seu var. R. gallicae, vel R. corymb. Ehrharti, quae R. virginiana, vel tandem R. corymb. Dupontii, quae R. Hudsoniana est!

ROSA *Montezùmae. Humb. Bonpl.*

R. tubo calycis (urceolo nob.) (germine aucto H. B.) elliptico pedunculisque glabris, ramisque inermibus; petiolis aculeatis; foliolis ovatis, argute serratis, glabris; floribus terminalibus solitariis. H. et B.

Rosa Montezumae. Humb. Bonpl. Nov. gen. usqued. ined. Red. Ros. I. p. 55. c. ic. Lindl. Ros. no. 53.

Frutex analogus R. nostrae eglanteriae.*) Rami laeves, glabri, inermes. Folia bijuga, stipulae margine glandulosae; petioli superne pubescentes, subtus aculeati, aculeolis raris uncinatis; foliola subsessilia ovata, acuminata, basi rotundata, simpliciter serrata, magnitudine illorum R. eglanteriae. Flores solitarii, in ramulis junioribus terminales, magnitudine R. eglanteriae (in icone minores!) breviter pedunculati, pedunculo nudo, glabro, suaveolentes, pallide rosei. Urceolus ellipticus (potius obovatus!) glaberrimus. Laciniae cal. ovatae, concavae, subpinnatifidae, appendiculatae, extus pubescentes et rubedine parca suffusae. Fructus ignotus.

Hab. in montibus porphyriticis ad marginem vallis mexicani septentrionalem, in altitudine 1460 tois. in cacumine montis Cerro-Ventoso.

*) Secundum sententiam H. et B. pro nostra opinione potius R. alpinae.

SERIES XXIII.

AITONIANA.

Penitus inermis, glaberrima; stipulae setaceae; flores umbellati.

Species: R. Banksiae. Ait.

ROSA *Bànksiae. Ait.*

R. urceolis globosis, laciniis calycis simplicibus, stylis liberis, floribus umbellatis, stipulis setaceis, distinctis, vel nullis; tota inermis, laevis et glabra. T.

Rosa Banksiae. Ait. h. k. ed. 2. III. 258. Sims. Bot. Mag. 1954. Red. ros. II. p. 43. Ker's Bot. Reg. 397. Lindl. Ros. no. 76. Andr. Ros. fasc. 38.

De ceteris quidem R. sempervirens praesenti maxime affinis, sed notis haec sat multis et distinctissimis ab omnibus tamen recedit, scilicet nuditate universali, inflorescentia, stipulis, magnitudine; etenim ultra 40 pedum altitudinem, scandens, attigit in viridario parisino, antequam floruit. Flores albi, pleni (nam simplices nondum conspecti sunt,) balsamice fragrantes, magnitudine R. pomponiae, vel minores, ad 12 in una umbella; fructus globosus, niger (juxta herb. Banks.) Planta sempervirens. Folium umbellae proximum simplex, magnum.

Hab. in China. ♉. Nomen in memoriam uxoris cell. naturae indagatoris, studiique protectoris, Bti Banks etc.

SERIES XXIV.

PALLASIANA.

Folia simplicia. Petala nectarostigmatibus picta.

Species: R. berberifolia. Pall.

ROSA *bèrberifolia. Pall.*

R. urceolo globoso, pedunculisque aculeatis, aculeis in omni caule copiosis, parvis, sparsis, foliis simplicibus, serratis, subsessilibus, petalis nectarostigmatibus pictis. T.

Rosa berberifolia. Pall. in nov. act. Petrop. X. p. 379. Willd. Sp. pl. II. 1063. Ait. h. k. ed. 2. III. 258. Nouv. Duhamel. VII. 14. Redout. Roses. I. 27. Lindley Ros. p. 1.

Rosa simplicifolia. Juss. plant. gen. app. p. 452. Salisb. prodr. stirp. h. Chap. Allert. p. 359. Ej. par. Lond. 101.

Frutex bipedalis, foliosus, foliis glaucis, ovato-oblongis, serratis. Ramuli pubescentes, et copiosis aculeis, sparsis, minutis, subuncinatis muniti. Calyx hispido-aculeatus, laciniis integris, apice attenuatis. Flores lutei, nectarostigmatibus atropurpureis, petala penetrantibus. Habitus, et corollae distinctissimae. Fructus depresso-globosus, hispido-aculeatus, calyce coronatus, pallide viridescens.

Hab. copiosissime in Persia septentrionali, nec non in Tartaria chinensi in deserto songarico. Memorabilis prae ceteris est stipularum defectus, quae speciali metamorphosi cum foliis in unum coadunatae fuisse videntur, ut adeo, si haec folia pro stipulis vel phyllodiis haberemus, plantam ipsam aphyllam dicere opporteret. T.

Species minus cognitae.

R. fraxinea. Willd. R. odoratissima. Scop. R. Maukschii. Kit. R. polyphylla. Willd. R. glabrata. Vest. R. balsamica. Willd. R. helvetica. Hall. fil. R. glauca. Vill. R. armata. Bess. R. Boreykiana. Bess. R. canescens Krock. R. enneaphylla Raffin. R. recurva. Roxb. R. Scopoliana. T. R. sibirica. T. R. Krockeri. T. R. adenophora. Kit. R. Roxburgii. T. R. Raffinesquejana. T.

ROSA *fraxinea. Willd.*

R. germinibus (urceolis) ellipticis, glabris, pedunculis glanduloso-hispidis, petiolis subaculeatis, glanduloso-hispidis, foliis glabris, caule aculeis sparsis. Willdenow.

Rosa fraxinea. Willd. Enum. Suppl. p. 37. Dietr. Lexic. Nachtr. VII. p. 244. Lindl. Ros. no. 101. Link. Enum. II. 56.

Colitur sub dio in horto berolinensi. Petala obcordata, saturate rubra. Species dubia; a cel. Steudel ad R. turbinatam relata; (v. R. rapa!) sed tamen, ut videtur, urceolo elliptico, nec turbinato, diversa, observatoribus maxime commendanda.

Cel. Link. l. c. ut Synonimon refert ad R. fraxinifoliam Lindleyi, quae nobis ac illustr. Jacquino b. m. R. blanda est. T.

ROSA *odoratissima. Scop.*

R. urceolis oblongis, bracteis, petiolisque villoso-glandulosis, caule inermi, ramis spinosis, fructibus pendulis.

Rosa odoratissima. Scop. Flor. carn. ed. 2. II. 354.

Caulis ramique rubelli. Folia 3—4juga, foliolis simpliciter serratis, subtus ad nervos villosulis, villis non glanduliferis. Pedunculi plerumque uniflori. Petala saturate rubra. Flores odoratissimi. Fructus ex rubro viridique varius, et admodum longus, pondere proprio demum deflexus.

Hab. circa Idriam in sylvis. Cel. Röhling in Deutshl. Fl. II. p. 295. no. 17. hanc pro varietate R. alpinae declarat. Sed minime consentio. Species quidem mihi adhucdum dubia est; tamen suspicor, illam potius ad seriem R. pumilae pertinere. An mater R. biferae? T.

217. S. II. 28.

ROSA *Màukschii. Kit.*

R. urceolis subglobosis, pedunculisque glabris; petiolis glanduloso-hispidis; caule aculeis sparsis parum recurvis, foliolis fere glabris.

Rosa Maukschii. Schultes in Oesterr. Fl. ed. 2. II. p. 69.

Vix possibile, ex tam brevi definitione, dijudicare, quibus speciėbus praesens sit proxima. Descriptio enim omnis deficit. Plantam in comitatu scepusiensi invenit Mauksch, botanicus et oeconomus existimandus. Nomen impositum a defuncto Kitaibelio. Forte affinis R. rubiginosae?

ROSA *polyphylla. Willd.*

R. germinibus (urceolis) oblongis, pedunculisque hispidis, fructibus nutantibus, petiolis subaculeatis, glanduloso-pilosis, caule aculeato, hispido. Willd.

Rosa polyphylla. Willd. En. h. berol. Suppl. p. 37.

Ex hac definitione, omni descriptione deficiente affinitas dijudicari nequit. Ne quidem patria patet. Colitur in horto berolinensi sub dio. ♉. An forte R. rubiginosae proles? Cel. Lindley (v. Ros. p. 40.) hanc ut Synonimon ad suam R. rubellam adducit. Ast definitiones comparans dubia mihi denegare nequeo. T.

ROSA *glabràta. Vest.*

R. fructibus solitariis, magnis, subglobosis, subcentematosis; pedunculis brevissimis centematosis; foliolis subrotundo-ellipticis, basi decurrentibus, duplicato-serratis, utrinque glaberrimis, margine glandulosis, aculeis sparsis subgeminatis. T.

Similis R. creticae et cum illa in eodem loco in Stiria lecta; sed differt aculeis rarioribus, minoribus, foliolis utrinque glaberrimis, basi rotundatis et in petiolum attenuatis, praeter marginem et basin costae dorsalis eglandulosis, petiolis glabris, pedunculo brevissimo, fructu elliptico et sepalis appendiculatis. An forte mera R. creticae varietas?

Communicavit ill. Professor Laur. de Vest specimen fructiferum. Florem non vidi. T.

In literis serius acceptis edoceor: „Habitu illam imitare R. caninam, caulem sat fortem esse subflexuosum, apice nutantem, 3—4pedalem.“ Pedunculi brevissimi, 3lineares, centematosi; fructus solitarii vel gemini, coccinei, magnitudine Juglandis minoris; bracteae elongatae, variae; folia floralia fructum longe excedentia; sepalae (in fructu persistentes) coloratae, intus et margine tomentosae, extus centematosae, basi lanceolatae, apice spatulatae, foliolis lineari-lanceolatis terminatae, alternatim pinnatifidae. Petioli aculeati, glabri, passim centematosi; stipulae glabrae, obovatae, apice divergentes, margine glanduloso-serratae.

ROSA *balsàmica. Willd.*

R. germinibus (urceolis) oblongís, pedunculisque glanduloso-hispidis, petiolis aculeato-glandulosis, foliolis oblongis, duplicato-serratis, subtus pilosis, trunco aculeis confertis, reflexis, ramulis glabris. Spreng. Neue Entd. I. 304.

Rosa balsamica. Willd. Enum. Suppl. p. 38.

Frutex tripedalis, truncis aculeatissimis. Rami patentes, vagi, glaberrimi. Folia pinnata, quadrijuga odore turionum Pini; petiolus communis aculeis sparsis pilisque glandulosis obsitus. Foliola oblonga, duplicato-serrata, basi subobliqua, subtus pilosa. Corolla rosea. Spreng.

Hab. in Hungaria. Cave, ne confundas cum R. balsamica Besseri, quae serius ab ipso auctore R. Klukii nominata fuit! An R. villosae affinis? T.

221. S. II. 28.

ROSA *helvètica. Hall. fil.*

R. germinibus (urceolis) ovatis, pedunculisque glabris, calycinis laciniis integris, petiolis spinulosis glanduligerisque; foliolis glabris, inodoris, ovalibus, duplicato - serratis, serris (serraturis) acuminatis; caule aculeato, aculeis tenuibus, rectis. Haller.

Rosa helvetica. Hall. fil. in Römeri Archiv. f. d. Bot. tom. I. fasc. 2. pag 6.

Nullum invenio bonum Synonimon. Flores, folia et aculei minimi generis. Tamen frutex quadripedalis. Hall. l. c.

Hab. in Helvetia. Woods putat, esse varietatem pygmaeam R. villosae. Ex diagnosi affinitatem dijudicare non audeo. An R. Wulfenii propinqua?

ROSA *glàuca. Vill.*

R. germinibus (urceolis) ovatis pedunculisque glabris, calycinis laciniis pinnatifidis, foliolis ovatis glaucis, aculeis sparsis. Deslongchamps.

Rosa glauca. Vill. ined. Loisel. Deslongch. Notice à ajout. p. 80. Poiret Encycl. Suppl. IV. 716.

Rosa canina, var: υ glauca. Desv. Journ. bot. IV. p. 116.

Hab. in Vosagis saltibus. ♉. Affinis videtur R. rubrifoliae. Differre dicitur a R. glauca Desfont. A Desvauxio pro var: γ. R. cinnamomeae, a J. St. Hilaire autem (v. Ej. Plantes de la Fr. T. IV. c. ic.) pro R. rubrifolia declaratur. Profecto R. glauca St. Hil. est nostra R. rubrifolia. Rosam glaucam Defontainesii autem nos nondum cognoscimus.

Specimen siccum, quod vidi in herbario Dni. Sauter med. cand. et quod pro hac specie habeo, exhibuit sequentia: Ramuli glabri subpurpurascentes; aculei stipulares, gemini, fere recti. Folia 2—3 juga; stipulae dilatatae, apice divergentes, purpurascentes, utrinque glabrae, glanduloso-denticulatae; petioli purpurascentes, glabri, subtus 3—5 aculeolis hamatis muniti; foliola sessilia, ovata, acuminata, argute duplicato-serrata, utrinque glaberrima, eglandulosa, glaucescentia, superiora erubentia, magnitudine R. caninae vulgaris. Bracteae nullae. Pedunculi brevissimi, glabri, nudi. Fructus ovati, coccinei, nitidissimi, geminati. Calyx deciduus. T.

ROSA *armàta. Bess.*

R. fructibus heteromallis, petiolis glabris, aculeatis; foliolis ovato-lanceolatis, argute serratis, glaberrimis; caule aculeato, aculeis uncinatis. T.

Rosa armata. Stev.? Bess. Enum. pl. Volhyn. et Podol. p. 62.

Specimen hujus Rosae fructiferum e Podolia australi ad Hypanim ab Andrzejowscio allatum vidit ill. Steven, et declaravit, illam posse esse ejus R. armatam ob foliolorum formam oblongo-lanceolatam. En descriptionem hujus speciminis. Caulis flexuosus, infra fructum continuatus in ramum, aculeatus, aculeis uncinatis compressis, basi oblonga, vix ultra 2 lineas longa; stipulae lineari-acutae, superne glanduloso-serrulatae; petioli glabri, aculeati, foliola ovato-lanceolata, sesquipollicaria, inaequaliter argute-serrata, glaberrima; pedunculi tres, bractea lanceolata breviores, pollicares, nudi. Fructus rubri, unus pyriformis, alter ellipticus, tertius ovatus; omnes basi plus minusve attenuati. Calycis lacinia unica, sola praesens, uno latere pinnulis tribus incisis inaequalibus, extus glabra, intus tomentosa. Styli villosi, liberi. Besser. l. c.

Minime quidem dubito, hanc speciem ad seriem sextam Rosarum pertinere et R. sepium affinem esse. Cum tamen nimis multa adhuc desiderentur, illam potius cumulo minus cognitarum adjicio, donec tandem uberiores observationes illius locum certius determinabunt. T.

ROSA *Boreykiana. Bess.*

R. urceolo ovato, superne attenuato; sepalis subbipinnatifidis; foliolis majusculis, simpliciter serratis, cinerascenti-villosulis, subtus glandulosis; aculeis validioribus, compressis, falcatis. T.

Rosa Boreykiana. Besser in Cat. Sem. h. bot. crem. 1800. et Enum. pl. Volhyn. et Podol. p. 65.

Frutex validus, ramis junioribus lividis, aculeis sat validis, raris, basi compressis, deflexis, subarcuatis. Stipulae glanduloso-serrulatae, dorso pubescentes; folia suprema obovata, apicibus conniventibus; reliqua in bracteas aphyllas, oblongo-lanceolatas, squarrosas abeunt. Petioli pubescentes, glandulis immixtis pedicellatis, aculeati, aculeis pluribus uncinatis. Foliola 7na in ramis floriferis superne sparse setosis 5—3na, magna, cinereo-viridia, subtus pallida, cinerea, utrinque pubescentia, s. villosula, costa subtus basi glandulosa; terminale ovatum cordatum acutum, reliqua elliptica acutiuscula; serraturae simplices, inaequales. Pedunculi ut plurimum corymbosi, elongati, 1—2 pollicares, glanduloso-setosi, superne ad basin receptaculi confertissime. Receptaculum ovatum, superne attenuatum. Calycis segmenta pinnatifida, pinnulis lanceolatis, acuminatis, saepius inciso-serratis, dorso glanduloso-setosa, interne tomentosa. Petala rosea, planiuscula, magna, calyce longiora, leviter emarginata. Styli plus minusve villosi. Fructus ovatus, coccineus, nitidus, calyce patentissimo, demum deciduo coronatus. Besser.

Hab. in Podolia australi; dicta in honorem ill. Marescalli et equitis Boreyko, plantarum et Florae cultoris et horti bot. cremen. benefactoris eximii. Ad testimonium cel. auctoris proxime affinis R. albae. Ego potius R. tomentosae propinquam crederem, sed autopsia deficiente decidere non audeo, et interim in cumulo 25to hanc speciem conservo. T.

ROSA *canèscens. Krock.*

R. urceolis subglobosis, pedunculisque hispidis; foliolis lanceolatis utrinque glabris, discoloribus, simpliciter serratis, caule principali subinermi, canescente, ramulis aculeato-hispidissimis, stipulis adnatis longissimis. T.

Rosa canescens. Krock. Fl. siles. II. 153. no. 784.

Frutex ulnaris et ultra, annosior rubellus et pruina canescente tectus, aphyllus sparsim aculeatus: ramuli tenues spithamales hispido-aculeati, aculeis numerosissimis, inaequalibus, firmis, incurvis (? recurvis ?) ad urceolum usque continuatis, rubris. Folia 2-raro 3-juga, foliolis lanceolatis inaequalibus brevissime petiolatis, superne saturate viridibus, subtus canescentibus venosis, aequaliter serratis, acuminatis. Petioli longi, subtus aculeati, angustissimis, vix in auriculas solutis, stipulis uncias aliquot (??) longis basi muniti. Pedunculi terminales, solitarii, uniflori. Urceolus subglobosus, plerumque aculeis rubellis, brevissimis, ut pedunculus obsessus, rubescens. Segmenta calycis acuminata, extus viridia, glanduloso-hispida, duo pinnata, reliqua integra, intus albo-tomentosa, petalis aequalia. Corolla magna purpurea.

Hab. in Silesia. Distinguitur a R. alpina aculeis ramulorum, urceolis hispidis; a R. gallica (austriaca) caule romoso polyfloro, foliolis angustioribus acuminatis, tenerioribus; a R. spinosissima caule humiliori, superne tantum aculeato. An forte nostrae R. Wulfenii proxima? Etiam R. Ventenatiana ab hac non multum aliena videtur. T.

ROSA *recùrva. Roxb.*

R. urceolis fructibusque muricatis; stipulis subulatis; foliis 2—4jugis; foliolis ovato-lanceolatis, glabris; caule scandente; aculeis uncinatis. T.

Rosa recurva. Roxb. flor. ind. ined. Lindl. Ros. no. 72.

Caulis subscandens, armatus aculeis numerosis, validis, recurvis. Foliola 5—9, ovato-lanceolata, argute serrata, glabra. Stipulae subulatae. Petioli aculeati.

Frutex hic validus, expansus, reclinatus, et dense armatus adlatus fuit a Dre. Buchanan e Nepalia in hortum botanicum calcuttensem, ubi per decem annos colebatur et non florebat.

Lindleus putat, hanc forte nil aliud esse, quam R. niveae varietatem. Interea folia 2—4juga magnum dubium excitant. Forte ipsa ejus series penitus alia? T.

ROSA *ènneaphýlla. Raffin.*

R. caule inermi, petiolis aculeatis, enneaphyllis; foliolis utrinque acutis, pedicellatis, serratis, glabris, concoloribus; corymbis paucifloris; germinibus (urceolis) globosis, glabris. Raffinesques-Schmaltz.

Rosa enneaphylla. Raffin. Journ. bot. IV. p. 268. Poiret Encycl. Suppl. V. 778.

Hab. in Pensylvania. ♉. Sine dubio de familia R. alpinae et R. Montezumae affinis. Uberior olim descriptio vel icon hanc affirmabit.

ROSA *Scopoliàna. T.*

R. urceolis ovatis, foliolis subtus glabris, calycinis segmentis glanduloso-hispidis, fructibus glabris.

Rosa simplex. Scop. fl. Carn. ed. 2. I. p. 353.

Caules ramique aculeati, rubri; petioli et pedunculi inermes. Folia 6juga, foliolis simpliciter dentatis, saturate viridibus, subtus glabris. Pedunculi glabri. Calycina segmenta alterna subpinnata, subtus crassis et capitatis villis adspersa margine lanuginosa.

B. Scopoli hanc pro R. cinnamomea et R. pimpinellifoliae affini habere videtur. Sed urceoli ovati, folia subtus glabra et segmenta glanduloso-hispida maxime adversantur R. cinnamomeae. Putavi hujus Rosae quantumvis incompletam notionem conservare debere, ne species oblivioni tradatur. T.

229. S. II. 29.

ROSA *Sibirica. T.*

R. setis ramorum nullis, aculeis subaequalibus, distantibus, foliolis planis impubibus, simpliciter serratis. Lindl.

Rosa grandiflora. Lindl. Ros. no. 32.

Descriptione deficiente haec species maxime dubia est. Lindley putat esse eamdem ac Marsch. Bieberst. R. pimpinellifoliam. Sprengel negat. (v. Ej. Neue Entdeck. III p. 245.) Nomen mutari debuit, quia jam alia existit R. grandiflora Wallr. Forte R. oxyacanthae affinis? T.

ROSA *Kröckeri. T.*

R. urceolis (globosis ?) pedunculisque glabris, inermibus, foliolis subternatis, ellipticis, obtusis, apice serratis, subtus cano-tomentosis, petiolis brevibus, villosis, involucratis stipulis, caule dodrantali, unifloro. T.

Rosa pygmaea. Krocker Fl. siles. II. p. 154. in Nota.

Frutex dodrantalis, inermis, glaberrimus. Folia ternata, quinatave, foliolis sessilibus, ellipticis, omnium minimis, mollibus, obtusis, ad apicem serratis, ad margines vel plane integerrimis, vel obsolete dentatis, supra flavescenti-viridibus, subtus canis, villosis (?); petioli breves, fere toti involuti stipulis latis, coloratis, serratis. Pedunculus et calyx glaberrimus, sed segmenta ad oras intusque alba (tomentosa ?) extus, uti et urceolus, rubella. Petala rosea vix calyce majora. Flos terminalis.

Hab. in Silesia. Videtur esse de serie R. majalis. Sed plura paradoxa videntur. Cel. Neygenfind nullam mentionem facit de hac Rosa in sua flora silesiaca.

ROSA *adenophòra. Kitaibel.*

R. urceolis subglobosis, pedunculis petiolisque hispidis, et setis glanduliferis munitis, aculeis rectis fere horizontalibus, foliolis obtusis pubescentibus.

Rosa adenophora. Schult. Oesterr. Fl. ed. 2. II. p. 69.

Hab. in Comitatu scepusiensi Hungariae. ♉. Videtur esse de familia R. pimpinellifoliae? Cave, ne confundas cum R. adenophylla Willdenowii!

ROSA *Roxboùrgii. T.*

R. urceolis globosis, sepalisque hispidissimis; foliolis nitidis argute serratis, subrotundis, utrinque glabris; floribus solitariis; bracteis angustis, acuminatis. T.

Rosa microphylla (altera!). Lindl. Ros. Mon. p. 146. (nec p. 145. vel p. 9.) Roxb. fl. Ind. ined.

Hoi-tong-hong Sinensium.

Frutex parvus, densus, laete virens. Rami inermes, debiles, subflexuosi; aculei substipulares, recti. Stipulae perangustae, apicibus divergentes. Petioli parum aculeati, admodum graciles. Folia 5—9, exigua, nitida, rotundato-ovata, acuminata, glaberrima, tenuiter serrulata. Flores solitarii, bractea unica acuminata muniti, pleni, pallide rosei; calyx undique vestitus setis strictis, et aculeis; urceolus globosus; sepalae brevissimae, dilatatae, acutae, margine tomentosae.

Hab. in China. Nescio, quid velit cell. Lindley cum hac specie? Etenim citat suam R. microphyllam, quae tamen a praesenti bracteis pectinatis et foliolis obtusis quam maxime differt. Neque dicit, hanc descriptionem suam esse supplementariam ad R. microphyllam; imo potius eam inter R. rubrifoliam et sericeam (sui systemàtis) inserendam esse indicat. Sed et alteram R. microphyllam R. sericeae (R. Wallichii nob.) affinem mox antea (p. 145.) edixit. — Cum ergo sub his circumstantiis certum judicium stabilire nequeam, et tamen R. Roxburgii a R. microphylla differe videatur, optimum putavi utriusque cognitionem, quantum eruenda fuerat, conservare, ne una alterave harum specierum oblivione deleatur. Forte suo tempore R. microphylla de numero specierum delebitur: manebit R. Roxburgii. In quibusdam hortis R. multiflora sub nomine Rosae Roxburgii habetur. T.

ROSA *Ràffinesquejàna. T.*

R. caule contorto; aculeis solitariis, recurvis; petiolis glabris, subinermibus; foliolis quinis, subsessilibus, glabris, ovalibus, inaequaliter serratis, floribus solitàriis; germinibus (urceolis) oblongis, glabris. Raffinesques-Schmaltz.

Rosa flexuosa. Raff. Schm. Journ. bot. IV, p. 268. Poiret Encycl. Suppl. V. p. 778.

Hab. in Marylandia. ♉.

Deficiente descriptione affinitas erui nequit. Analogiam nonnullam cum R. nankinensi exhibet, et proinde fortasse illi etiam affinis? Cum jam existat R. flexuosa, nomen mutari debuit. Dixi in honorem cel. C. Raffinesques-Schmaltz, Botanici meritissimi et Professoris Zoologiae et Botanicae Lexingtoni in America septentrionali.

